BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Sainte-Marthe, Scévole de

Gallorum doctrina illustrium ... elogia

Augusta Picton. 1602

4 Biogr.c. 120
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10050603-1

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10050603

10050603

4° Bwqr. C. 920

coll.

t

691

10050603

10050603

10050603

GALLORVM DOCTRINA ILLVSTRIVM, QVI nostra patrúmque memoria floruerunt,

ELOGIA.

Recèns aucta & in duos diuisa libros quorum alter nunc primùm editur.

AVCTORE SCÆVOLA SAMMARTHANO.

(Sainte Marthe

Augustoriti Pictonum,
Ex officina Io. Blanceti Typ. Regij.

CIↃ. IↃ. CII.

10050603

10050603

AD V. C.

IACOBVM AVGVSTVM THVANVM SACRI CONSISTO-

rij Consiliarium & Senatus Parisiensis Præsidem.

AVTOR *& antistes doctorum Auguste virorum,*
Quo sine iam studiis nec foret vllus bonos.
Dum tu longinquo Francisci à funere Primi,
Qui tenuit valida Gallica sceptra manu,
Persequeris gesta immensum quacunque per orbem
seu terra & pelago, seu foris atque domi.
Magnum opus & nullis vnquam delebile seclis,
Quale nec Ausoniæ Liuius ante dedit.
Ipse ego non æquis tua per vestigia repens
Passibus, ad laudem qua datur ire via,
Quod potui, doctorum hominum felicibus vmbris
Elogia hæc gratus qualiacunque tuli.
Pierias certè poteram meliora per arteis
Moliri, studiis & magis apta meis.

Nam mihi si testes fas appellare Camœnas,
Nec vetat ingenitus dicere vera pudor,
Ausus ego Italiæ facunda lacessere cantu
Ingenia, & Latio scribere digna sale.
Sed fuit hoc olim potioris flore sub æui,
Dum nouus in vegeto pectore sanguis erat.
Nunc senij graue pondus obest, nunc debilis ætas,
Nec pote iunctorum vincula ferre pedum.
Hinc mihi sola placent numerorum lege soluta,
Quæq; magis facili tramite verba fluunt.
Sic nempe & viridi fidens qui sæpe iuuenta
Vicit in Elæo puluere fortis equus,
Languidior postquam membris illapsa senecta est,
Nec calor in cursu qui fuit ante viget,
Mollia iam tentat vacuo vestigia campo,
Et refugit metis, carceribúsque premi.
Quis scit an & doctas teneant hæc aptiùs aures
Quàm leuia & teneris carmina blanda sonis?
Quicquid erit, flos lecte virûm, te pendet ab vno,
Præsidiiq; aura nititur omne tui.
Tu bonus exiguum veteris cape munus amici,
Quem tibi Musarum iunxit honestus amor.
At vos, illustres animæ, dignissima cælo
Nomina, quæ memori Gallia mente colit,
Dum struimus vestræ monumenta hæc debita famæ,
Quáque licet iusto fungimur officio,
Sit quanquam hoc temerè nitido lucem addere Soli,
Nostrâque ad laudem non egeatis ope,
Ne tamen Elysia pigeat spectare sub vmbra
Hanc curam & tenuis dona pusilla manus.
Si non ingenio, si non satis arte placebunt,
Certè animus dantis respiciendus erit.

Forſan & è vobis aliquis cum legerit, Iſte
(Dicet) erit noſtri pars aliquando chori.
Quámque aliis operam præſtat pius, ipſa merenti
Poſteritas grata reddet amica vice.

CÆlo Tyndaridæ In vices recepti
Alternis moriuntur atque viuunt.
Sed Phœbo Elogiis tuis fauente,
Non alterna tibi virisque doctis,
Ast æterna paratur & viget laus.

LVD. SAMMARTHANVS
Proseneschallus Pict.

n claras Scæuola Gallos,
is clarus ab elogiis:
im Sol qui lumina fœnerat

cluit.

B. IRLANDI ANTECESS.
& Consil. Reg.

AETERNVM *viuunt cælestibus indita libris,*
Sacra deo, gentis nomina Pieriæ.
Hoc meruit virtus, meruit doctrina virorum,
Mancipio soluit quos Libitina suo.
Non satis hoc, vitæ libris inscripta manere
Nomina, si terras nocte sepulta latent.
Hoc SAMMARTHANI *genius, Parnassidis oræ*
Cultor, & Ascræis excita musa iugis
Ferre nequit, cœlo fœlices viuere terris
Ignotas animas, & sine teste deas.
Elogiis hominum facit vt versentur in ore,
Et terras celebri nomine, laude, colant.
Æternum viuent cœli terræque relata
In libros gentis nomina Pieriæ.
Et Sammarthanum sibi quod præfabitur ipse
Elogio dignum tot monumenta ferent.

ADAM. BLACVODÆVS
Cõsiliarius Regis in Præsidali Pictorum Curia.

VOS licet, illustres animæ, victricia mortis
Funera Musarum iam subiistis ope:
Diuarum pia cura tamen communia vobis
Sacra parat, Parcæ non temerandamanu.
Hoc agit en Mystes diuini SCAEVOLA cætus,
Atque æterna simul dat monumenta sibi.

P. LÆTI Medici Reg.

SCAEVOLAE SAMMARTHANI ELOGIORVM liber primus.

Iacobus Faber Stapulensis.

ORPEBANT ingenia Gallorum diuturnis ignorantiæ tenebris inuoluta, Lutetięque ſcholas omnes fœdiſſima iampridem Barbaries occupabat, cùm è Belgico litore tanquam Sol nouus emerſit Iacobus ille Faber, qui diſſipata caligine Gallicam iuuentutem ex altiſſimo veterno tandem excitaret, liberaleſque diſciplinas turpiſſimè iacentes effuſo purioris doctrinæ lumine primus illuſtraret

& erigeret. Erat is ad Stapulas maritimum Picardiæ pagum ex ignobili familia natus, cultumque ingenij, quem illa tempora ferebant, inter aniles Sophiſtarum nugas & ineptias apud Pariſios acceperat. Sed hanc fortunæ tenuitatem generoſa planè indole ſuperabat. Cumque pro ſolerti quo pollebat iudicio aliquid in literis maius omnino & præclarius eſſe ſentiret, quàm quod ante à Barbaris illis & imperitis præſtitum eſſet: partim ſuo impulſu, partim eruditorum hominum qui tum in Italia florebant exemplo & æmulatione incenſus totum ſe in illius boni cognitione & ſcientia collocauit. Eo euentu, vt & ipſe perfectiſſimè doctus euaderet, & alios aptiſſima deinde methodo facilitatéque doceret: non voce tantum & prælectionibus, verùm & ſcriptis, quibus ad vniuerſam Ariſtotelis doctrinam, matheſeoſque partes omnes planum & facilem poſteris aditum patefecit. Sed qui Socratis in ſapientia propaganda ſtudium æmulabatur Socratis quoque vicem non effugit. Nec enim defuere qui ſeneſcentem & libros ſacros (vt hominem theologici ordinis inſignibus cohoneſtatum decebat) liberiore cenſura caſtigantem deprauatæ Religionis reum identidem poſtularent. Non dubia demum ſpe

victoriæ, cùm ad Ticinum Francisco Rege capto & in Hispaniam abducto (cuius authoritas & perpetuus in literatos amor non semel eum ante protexerat) opportunam opprimendi hominis occasionem sibi offerri iudicarent: nisi denuò pius princeps intercedente Margareta sorore Nauarræ Regina cæcas istorum artes & consilia elusisset, datis ad Senatum literis, quibus causæ totius cognitionem ad se transferebat. Ille autem sponte vrbe discedens inuidiæ se subduxit, Neracumque Nauarrææ ditionis vrbem Albretiorum olim Regiam in illius Heroïnæ clientelam se recepit: vbi cùm ad longissimam ætatem tranquillissimè vixisset, senio magis quàm ægritudine oppressus interijt. Statura fuit supra modum humili, vultu modesto & moribus planè aureis, animo præsertim ab omni auaritiæ labe prorsus alieno: vt nec vlla rei faciendæ cura duceretur, & auitum patrimonium (quantulum idcumque erat) fratribus, fratrumque filiis vtendum fruendum relinqueret. Mortuum luxerunt eruditi omnes veluti carissimo parente orbati, solennemque funeris pompam Margareta ipsa mœrens præsentia sua honorauit.

Gulielmus Budæus.

Stapulen-
ion ætatis
m ordine
Gul. Bu-
nium qui

hoc patrumque ſeculo vixere ſine controuerſia doctiſſimus. Quanquam, niſi hoc inſtituti ratio poſtulet, quid opus eum celebrare cuius fama in excelſo & illuſtri loco poſita omnes omnium nationum homines in admirationem ſui quotidie cõuertit? Eoq; magis quòd in vrbe ab his ſtudiis id temporis abhorrente inter luxum & opes ortus & educatus, nullo præceptore, nullo riuali, ad ſupremum illud eruditionis faſtigium ſua ipſius induſtria conſtantiáque pene incredibili prouectus eſt. Defuit quidem tanto viro perſpicuus ille venuſtioris eloquentiæ nitor quem recentiores vni Ciceroni addicti maiore ſtudio & religione coluerunt. Sed quid ſi exiſtimabat (id quod res erat) eius auctoritatis homini grauitatem ſtyli magis quam verborum lenocinia conuenire? Certè vo-

luntatem illi non facultatem defuiſſe argumento eſſe poteſt penitiſſima illa totius Latinitatis cognitio, cuius in Pandectis recenſendis & Romanorum iure illuſtrando luculentum & nobile ſpecimen dedit. In Græcis autem quis nõ miretur eo vſque progreſſum, vt (quod nullidum extra Græciam nato contigerat) ipſius Iani Laſcaris Græcorum doctiſſimi iudicio veterem Atticorum facundiam adæquaſſe diceretur? His præſidiis ornatus multa nobis reliquit vigiliarum monumenta, quæ cum omnia ſingularem ingenij doctrinæque laudem præ ſe ferrent, nullum tamen ſplendidius fuit aut magnificentius, quàm laborioſa de Aſſe lucubratio: qua res à tot iam ſeculis intactas penituſque abſtruſas & latentes ex intimis obſcuræ antiquitatis penetralibus eruit ac in lucem protulit. Neque defuerũt ex Italia Germaniaq; plures æmuli, qui pulcherrimam illam operam ſibi præreptam eſſe contenderent, falſóque vindicarent. Admouente calumniæ faces Eraſmo: qui cùm oculte Budæo principem in literis locum inuideret, hominis exiſtimationem, quam non audebat apertè inuadere, cuniculis oppugnare non deſinebat. Peruicit tamen veritas, nec mendacio paſſa eſt ſe opprimi, aut quem ille fructum

ex ſuis laboribus colligere meruerat ad alios indignè transferri. Cæterùm vir tanta animi contentione Muſis operatus à ciuilibus interim negociis & Reipubl. cura non abfuit. Nam & à Franciſco primo in aulam ſæpe accerſitus & Romam de belli ſocietate cum Leone ſummo Pontifice aduerſus Cæſarem & Heluetios contrahenda vnà cum aliquot regni proceribus ab eodem principe legatus eſt. Cúmque per aliquot annos Regij ſcribæ partes impleuiſſet, ſupplicibus quoq; libellis (qui honos in prætorio maximus) non minori probitatis quàm eruditionis gloria diu multumque præfuit. Cuius muneris obeundi cauſa dum Gul. Poieto militiæ togatæ principi gratiſſimus comes adhæret, nec vllis itinerum difficultatibus ab eius latere diuelli poteſt, accidit vt annum agens ſeptuageſimũ tertium, canicula æſtuante, in ſæuiſſimam febrem incurerret: qua demum ingraueſcente ſub finem Auguſti menſis anno huius ſeculi quadrageſimo vir eximius animam cœlo dignam exhalauit: relicta numeroſa ſobole, factóq; teſtamẽto, ex cuius præſcripto Lutetię in D. Nicolai cãpeſtris, nullo funeris apparatu ſepultus eſt, ac paulò mox à Iacobo Sammarthano patruo meo doctiſſimo ſanè viro funebri oratione in vulgus edita cõmẽdatus.

Christophorus Longolius.

CONSTAT Macliniæ quidem noto Galliæ Belgicæ oppido Longolium esse natum, sed patre Parisiense Leonensium Episcopo, Regis apud Belgas id temporis Legato: cuius cura & studio puer admodum Lutetiam perductus est, vt apud suos in antiqua splendidáque Longoliorum familia liberaliter educaretur. Adolescens laudis cupidus veram illam, quæ ex optimis literis quæritur, gloriæ segetem auidissimè amplexus est. Ac primùm quidem relicto foro, ad quod initio se comparauerat, incredibili Græcæ linguæ studio totus exarsit, riualem in eius amore Budæum sibi statuens. Verùm vbi Græcas aliquot illius viri epistolas legisset cum ipsa vetustate planè conferendas, abiecta spe victoriæ ad Latinam eloquentiam se transtulit, in qua breui tempore ne ipsis quidem Bembis & Sadoletis inferior factus est. Eum tamen vt in sententiis exilem & in verbis minimè luculentum aspernantur Itali homines, qui parem in hoc laudis ge-

nere nullũ ferre possunt. At profectò viuum tanti fecere, vt eloquentiæ nomine neque id postulantem Romanæ ciuitati adscriberent: reumque maiestatis ob sparsum in vulgus libellum, quo nominis Romani dignitatem grauiter violasse ferebatur, non absoluerent modò, verùm etiam è Gallia, quo se receperat, propositis à Leone Decimo ingentibus præmiis cupidissimè reuocarent. Ille autem hac procella quodammodo reiectus ac repulsus Alpibus quidem denuò traiectis remeauit in Italiam, sed omni repetendæ vrbis voluntate deposita Patauij se continuit: vbi post aliquot annos in contubernio Reginaldi Poli Regiæ stirpis Angli, quicum per illud tempus familiarissimè vixerat, ex rapidæ febris æstu eodem quo ipse Pontifex anno quatuor & triginta annorum iuuenis fato functus est: ea tranquillitate animi & constantia qua hominem in literarum & sapientiæ studijs educatum decuit: cum in vltimis doloribus atque in ipso penè mortis articulo literas ad amicos daret propinqui obitus sui tanquam alicuius profectionis à se institutæ nuntias.

Germanus Brixius.

GERMANVS BRIXIVS Altissiodori honesto loco natus & optimè institutus inter eos censeri meruit, qui primi ex Italia elegantiores Musas in Galliam traduxerunt. Nam & in Græcis præceptore vsus Marco Musuro Cretense, quem aliquot annos Patauij docentẽ audijt, multa è Chrysostomo Latina puritate conuertit, & à Thoma Moro Britannorum doctissimo in describenda vnius nauis Gallicæ cum duabus Anglicis pugna versibus virulentis atrociter & improbè lacessitus ex illo certamine doctorum omnium iudicio facilè victor euasit. Non illustri quidem triumpho, cùm ad poëtarum gloriam, qui tempestate illa passim in Italia florebant, neuter adhuc satis accederet. At certè rem inchoasse atque alijs perficiendam tradidisse non inglorium esse duco. Leguntur & Græci aliquot versus in amicorum funeribus ab illo decantati, cùm præeunte Iano Lascare, quem hospitio frequens excipiebat, Græcos poëtas omnes diligentissimè perlegisset. Erat enim Brixius in omni-

vitæ cultu ciuilis & ſplẽdidus, cuius ad liberales epulas docti omnes & elegantes illius ætatis viri non illibenter conuenirent. Sed inclinante iam ætate, poſtquã reprimi vitæ feruor coeptus eſt, in atræ bilis incommodũ incidit. Qua in ægritudine ſuſpicionum, terrorumq; plenus miſerabile ſenium exegit: eaque tandem infeſtius vrgente, dum ab aula, quę tum apud Blæſios agebat, Lutetiam reuertitur, in agro Carnutenſi extinctus eſt, eodẽ ferè tempore quo Budæum, qui cum illi ex ſtudiorum coniunctione non vulgaris amicitiæ vſus intercedebat, ereptum quoq; luxit Gallia.

Ioannes Ruellius.

VESSIONVM vrbs Belgiæ quondam florentiſſima Francorumq; principum Regia nõ minimam his tẽporibus nobilitatis acceſſionem ſibi fecit edito in lucem Ioanne Ruellio tanto viro. Qui cùm puer à natura feliciſſimè cõparatus ad exactam vtriuſque linguæ notitiam admirabili celeritate &(quod magis mireris) nullo docente peruenißet, philoſophiam ac Medicinam ex Græ-

corũ fontibus abundè hauſtas Latinæ linguæ munditiis primus apud Gallos exornauit & illuſtrauit. Opus enim egregium in tres diuiſum partes de natura ſtirpium accuratiſſimè conſcripſit, Dioſcoridémque, Actuarium, & Conſtantini de agricultura libros tanta ſermonis elegantia tranſtulit, vt peculiari elogio Aquila interpretum à doctiſſimo Budæo nominaretur. Sed & ſingulari eius ope ac induſtria factum eſt, vt Hippocrates, Galenus, Euclides, Celſus, Plinius lõgè quàm anteà caſtigatiores & emendatiores à typographis excuderentur: cùm in manuſcriptis exemplaribus vndique cõquirendis nulli ſumptui parceret, vt eorum collatione diuinæ tot inſignium virorũ lucubrationes à fœdis imperitorũ mẽdis purgari poſſent ac reſtitui. Flagrabat enim indefeſſo rei literariæ ſtudio: cui quò liberius & cõmodius inſeruiret, cùm in aulæ comitatum à Frãciſco Rege & Lodoica eius matre identidem euocaretur, hanc rei augendæ occaſionem facilè neglexit: elatáque demum vxore cælebs & ſolutus inter D. Virginis flamines, quorum in collegium à Poncherio Antiſtite allectus fuerat, quod reliquum vitæ fuit in ſuis deliciis & amoribus, hoc eſt in bonis literis, auidiſſimè cõſumpſit. Donec annum agẽs vitæ LXIII. ſalutis CIↃ. IↃ. XXXVII. apo-

plexia repentè ſurreptus eſt & in eiuſdem Virginis æde à collegis humo conditus.

Bellaij fratres.

M inde à Capeti Regis tempo-
bus, qui ante ſexcentos annos
:rum in Gallia potitus eſt, Bel-
iorum gens & genere illuſtris
:rerum geſtarum magnitudine
:. Perpetuáq; ſerie ad hanc æta-
res illos tãdem protulit fratres omni virtute cumulatiſſimos, qui pari animorum contentione rem maximè omnium laudabilem perfecere, quam ne velle quidem vlli Gallorũ antea in mentem venerat, vt armorum gloriam cum literarum dignitate copularent. Et quidem Gulielmus natu maximus ſummum in vtroq; virum ſe geſſit. Nam & aduerſus infeſtiſſima Caroli Cæſaris arma Taurinenſis prouinciæ præfecturam à Rege Franciſco primo ſibi traditam gnauiſſimè ſuſtinuit, multis pręliis fortiſſimè cõfectis, multis oppidis feliciſſimè receptis: & præter varias legationes, in quibus incõparabilis eius facundia emicuit, hiſtoriam de rebus Gallicis ab ipſa imperij origine ad ſua vſque tempora

tum Latinè tum Gallicè grauissimo stilo persecutus est. Cuius diuini operis exigua fragmenta Martinus frater iunior excellenti vir animo & solertia, Normaniæ regendæ præfectus, cõmentariis illis interseruit, quibus & ipse, dum aut à rebus bellicis aut à legationũ laboribꝰ vacaret, Frãcisci res gestas nõ minus ornatè quàm syncerè ac prudenter populari sermone perscripsit. At Ioanni, cuius elegans eruditio cum sæpe alias, tum maximè in frequẽtissimis Tridenti cõuenibus, vel superata patrum expectatione admirabilem sibi apud omnes peperit existimationem, animi etiã vis atq; magnitudo non defuit. Vt qui asperrimis tẽporibus aduenãte Cæsaris exercitu Parisiorũ vrbem, cuius Põtificatũ gerebat, intrepidè tuendã susceperit, eiusq; muros ingenti vallo, firmisq; propugnaculis incredibili diligentia munierit. quę & hodiè nõ postrema vrbis præsidia censentur. Sublato dehinc è viuis Frãcisco, cui & pace & bello ab intimis cõsiliis fuerat, cùm inuidorum artibus dispari apud successorem loco esset, Romã se recepit, vbi Cardinalium decanatu insignis affecta iam ætate sub Frãcisci secundi aduentũ vita functus est. Editis carminum tribus libris, in quibus non ingenij solum & doctrinæ, sed generosi etiam animi signa non obscura elucent.

Baïfij pater & filius.

AZARVS BAIFIVS ex antiquâ ſtirpe apud Andes patre magni nominis Equite genitus maiorũ gloriam bellica virtute partam pacis togæque artibus feliciter adæquauit. Nam eius bono fato contigit vt in tempora Franciſci Regis incideret, principis Muſarum amantiſſimi: qui, vt erat ingeniorum æquus æſtimator, hanc generoſi hominis indolem in vmbra & otio deliteſcere non ſuſtinuit. Immò & eũ ad ſummas dignitates euexit, & in crebris ad Chriſtianos principes legationibus eius fideli opera lubentiſſimè vſus eſt. Quo in honorum curſu florentem & ab editis de re veſtiaria naualique commentariis apud literatos illuſtrem intempeſtiua mors oppreſſit. Relicto imberbi filio Iano Antonio in legatione Veneta ex liberali quadam puella nato: qui paternis veſtigiis inſiſtens bonas quoque artes ac præcipuè poëticen gnauiſſimè ſectatus eſt. Ita tamen vt cum verſus Latinos belliſſimè pangeret & in Græcis antiquitatem ipſam laceſſere videretur, ſemper hæſerit in Gallicis

quos paulò frigidius & nullo pene ſpiritu canebat. Hoc autem imputari debet ingenti, quo ardebat, ornādæ patriæ deſiderio. Cuius etiam vernaculum ſermonem tanti fecit, vt non contentus illis ſimiliter deſinentibus ſoniis, quos hactenus noſtri homines coluerūt, experiri præterea voluerit num ad veterum Græcorum & Latinorum numeros carmina Gallicè fingi poſſent. rem profecto pulcerrimam & omnium applauſu digniſſimam, ſi ex ſe non ex inueterata hominum opinione pēderetur. Cæterùm fuit Ianus ob gratiſſimā conuictus & morum facilitatem ſummè iucundus & amabilis, ſed in hoc patre inferior, quòd fortuna vſus eſt parum felici: neq; ferè quicquam in bonis habuit, præter domum & ſitu & cultu peramœnam, quam incoluit in Lutetiæ ſuburbiis ab omnibus politis hominibus aſſiduè frequentatam: præſertim à Muſicis, cùm eos ad nouum iſtud numerorum genus emodulandum & fidibus aptandum cupidiſſimè inuitaret. Inſtituta in hunc vſum apud ſe Academia, cuius ad inuſitatos concentus ſummi etiam principes animi gratia ſæpenumero cōfluebant. donec Regius miles impetu in rebellem ciuitatē facto in ipſa ſuburbia irrupit, omniaq; diripuit, cùm ipſe paucis ante diebus è vita ſexagenarius exceſſiſſet.

Petrus Danesius.

Fransc
bus in
m ded
;uæ fa
n Pet
:etiæ
ɔ Lasc
er inst

ctus. Neque enim in illa doctorum penuria illustres adeò viri iuuenibus egregijs & magna de se pollicentibus pium docendi officium interim præstare grauabantur. Huic autem vt eruditio maxima, sic vita lõgissima fuit. Iam tum enim eminebat cum publici linguarum & scientiarum interpretes Lutetiæ primùm à Rege creati sunt. Quorum in numero & ipse aliquantisper fuit, peruenitq; ad Henrici tertij tempora, nec ita multò post eius è Polonia reditum ereptus est. Cumq; totum illud tempus in optimis literis intentissimè collocarit, neque præter aliquot legationes tum liberas tum Regum iussu de Reipub. Christianæ rebus in Italia susceptas

vlla

vlla vnquam occupatio institutum studiorũ cursum retardarit, mirum est profecto nulla iam superesse tanti ingenij, tamque diuturni laboris monumenta. Quanquam & multa è Græco transtulisse, & præter epistolas, orationesq; planè Latinas eruditissima in Aristotelem scholia conscripsisse dicitur. Sed, vt verisimile est, ex eorum editione decus & existimationem quærere non admodum laborauit vir doctrinæ fama satis nobilis, atque ab ipsa Italia meliorum ingeniorum altrice ob spectatam in celeberrimo Tridenti concilio facundiam ingenti cum admiratione prædicatus. Certè eius commendatio tanta fuit, vt ab Henrico secundo potissimum eligeretur, qui Francisci filij Galliarũ Delphini pueritiam regeret, literarumque præceptis informaret. Quo nomine honorificè in Regiam accitus & Vaurensi Episcopatu insuper honestatus est, eiq; dignitati ad supremam senectutem magno cum totius sacrati ordinis ornamento præfuit. Lutetiæ fato functum & in æde suburbana D. Germani, qui Pratensis appellatur, tumulatum Gilbertus Genebrardus Hebraicæ linguæ professor more maiorum in concione laudauit.

Tusanus & Vatablus.

EBENT hoc Iacobo Tusano Græcæ literæ, quòd cùm à Francisci Regis temporibus magna semper celebritate in Gallia viguerint, qui eas coluere plerique omnes ex frequentissima illius schola prodiere. Idemq; contulit & sacræ linguæ, Franciscus Vatablus: cùm hic ex Gamachio agri Picardi oppido, ille ex Campania Belgica Picardiæ proxima ortus esset. Neque porro ad cætera dissimilis eorum condito fuit. Nam & eodem ferè tempore professores à Rege ambo nominati sunt, & cùm omne vitæ tempus in erudienda iuuentute collocassent, vno eodémque die optimi & doctissimi ætate sua viri paucis ante Franciscum mensibus de vita decesserunt. Quorũ alter collecto ex doctrinæ suæ opibus locupletissimo Græcæ linguæ thesauro, alter sacris Bibliis ex Hebraica fide longè castius quàm antea Latinè conuersis nomen æternitati consecrauit suum.

Petrus Gillius.

VIT hic ortu Heluius vtriusq; linguæ pariter & philosophiæ cognitione præstans, quem ille cuius hic toties incidit mentio literarum parens Franciscus primus, cùm Bibliothecam instruere cogitaret, in Græciam & Asiam legauit, vt Græcorum auctorum qui nondum typis excusi essent codices manuscriptos vndique conquireret, in Galliamq; asportaret. Quæ tamen peregrinatio parum illi prosperè cessit. A Barbaris enim interceptus & in Affrico litore durissimam carceris molestiam perpessus, vix tandẽ Armeniaci Cardinalis munificentissimi cura & liberalitate redemptus euasit. Cuius benignitatis nõ immemor Mæcenatẽ de se benemeritum Romæ tunc agẽtem adijt, eiusq; demũ iussu quicquid apud exteras nationes memoratu dignũ obseruauerat eo stilo perscribere aggressus est, qui nõ obscuram eruditionis & facundiæ laudem sibi polliceretur. Sed eiꝰ generis vnicũ habemus de Bosphoro Thracio cõmentarium. Cætera P. Belo vnus è domesticis mortuo domino surripuisse, ac pro

ſuis edidiſſe cõſtantiſſimo rumore dictus eſt. Cùm docti omnes viri ab homine vix mediocriter literato prẹſtari talia nequaquam poſſe facillima coniectura iudicarent. Perſtitit in amore Cardinalis, & quem viuum benignè fouerat, mortuum Romæque in D. Marcelli ſepultum decorauit honore tumuli.

Salmonius Macrinus.

N tanto eruditorum hominum prouẽtu, qui hoc ineunte ſeculo apud Gallos in omni genere literarum excelluerũt, mirũ illud fuit, quòd nemo tum ſit repertus qui poëticen ſeriò attingeret. Si Salmonium vnum excipias. hic enim tam auſpicatò rem aggreſſus eſt, vt ſecundùm Horatiũ princeps in lyricis meritò cenſeatur. Præſertim ſi ea ſpectes, quæ cecinit in primo facilioris ætatis curſu: nam cætera quæ prouectior ſubinde publicauit neque adeò caſtigata ſunt, & in tantam multitudinem excreuere, vt iuuenilium ſplendori mole ſua nõ parum officiant. Natus eſt Iulioduni, quod oppidum nobis quoque natale in Pictonum Turonúmque &

Andium finibus aëre ſalubri fœcundoq; ſolo poſitum à Iulio Cæſare conditore ſuo ſic appellatũ maiores nobis tradiderũt. Cumq; ad futuram frugem præclariſſima eius indoles à puero iam effloreſceret, ne ſpes illa præcideretur, à parentibus (quorum alioqui tenues erant fortunę) in Pariſienſem academiam eo tempore miſſus eſt, cùm Iacobus Faber meliores omnes diſciplinas magna nominis celebritate profiteretur. A cuius educatione factus doctior Claudio Tendæ Comiti & Honorato eius fratri Renati Sabaudij filiis erudiendis continuò præfectus eſt: vnde primus illi patuit ad principis aulam aditus. Adhæſit inde Bellaiis fratribus liberaliſſimis Muſarũ patronis: quos & reliquos item aulæ proceres ipſumque Regem dum lyricorum ſuorum blanditiis demulcet ac demeretur, diu multumque celebris & gratioſus in aulæ comitatu floruit. Donec vitæ cœlibis pariter & aulicæ pertæſus vxorẽ duxit ciuem ſuam ſplendido loco puellam: cuius pios & conceſſos amores inſigni pudoris exemplo decantauit, mortuamque ſuis & amicorum verſibus æternæ poſteritatis memoriæ commendauit. ſuſceptis ex ea vtriuſque ſexus liberis, quorũ natu maximus Charilaus, patre non inferior, illuſtriſſimæ principi Catharinæ Borboniæ

Regis ſorori præceptor datus Lutetiæ in ipſo ætatis flore vnà cum Admiralio cæſus eſt: cum Salmonius pater anno CIↃ. IↃ. LVII. domi ſuę ſenio planè confectus occidiſſet.

ad cuius exemplum ea ſermone patrio finxit quæ meræ quidem nugæ ſunt, ſed eiuſmodi tamen ſunt vt lectorem quamlibet eruditum capiāt & incredibili quadam voluptate per-

fundant. Neque ſolùm erat in ſcribendo ſalis & facetiarum plenus, verùm & eandem iocandi libertatem apud quemlibet & in omni ſermone retinebat. Adeò vt Romam cum Io. Bellaio Cardinale profectus & in Pauli III. conſpectum venire iuſſus ne ipſi quidem Pontifici maximo pepercerit. Atq; hanc intemperantię ſuæ cauſam ingeniosè prętexebat, quòd cum ſanitati conſeruandæ nihil magis officiat quàm mœror & ęgrimonia, prudentis Medici partes ſint non minus in mętibus hominum exhilarandis, quàm in corporibus curandis laborare. Mortuus eſt apud medonium vicum agri Pariſienſis ad quartum ab vrbe lapidem, vbi tenue ſacerdotium Cardinalis beneficio poſſidebat.

Clemens Marotus.

locare, cui defuerunt literæ. Quæ si adfuissent, vix vllus erat futurus poëta melior. Fuisti enim à natura felicissimus. Hoc certè

Joannes Dampetrus.

IC SECVNDVS à Macrino cœpit hominibus Italis Latini carminis gloriam non inuidere. Nam in hendecasyllabis, quorum aliquot per manus politiorum hominum circumferuntur, Macrino ipso mollior ad Catullum proximè accedit.

Ortus

Ortus erat è Blæſiis ad Ligerim amœno cælo, cuius benigna temperie ſingularem ingenij vbertatem ſortitus non quidem in ſola carminis pangendi facultate cõſiſtebat, ſed per omnia doctrinarum ſpatia liberiore curſu ferebatur: ita tamen vt Iuris & legum diſciplinæ præcipuè incumberet. Ac huius quidem facultatibus abundè comparatis inter celebriores magni Cõſilij patronos eminere iam cœperat: cùm mutato repentè conſilio tanquam ingenuæ libertatis pertæſus Franciſcanæ ſectæ ſe addixit vir cæteroqui elegans & ab omni morum auſteritate alienus: piumq; illud ſtudium, quod in fortunis hominum tuendis impendere ſolebat, non minori facundiæ dignitate ad Chriſtianas mentes in Religionis officio retinendas adhibuit. Cæterùm & hoc in eiuſmodi fortuna minimè contemnendum illi obtigit, vt à ſui ordinis hominibus cœnobio Veſtalium Aurelię proximo præficeretur. Ibi enim animo ſoluto & vacuo inter candidos virginum greges, blandaq; Muſarum otia iucundam vitam & ſanæ mentis hominibus inuidendam placidiſſimè tranſegit. vſus interea doctorum hominum qui vrbem illam incolebant familiaritate & alloquiis, ac præſertim Germani Audeberti, viri cum primis docti & pij qui vt eſt omnis

elegantiæ amantissimus, vnus maximè fecit ne ab eius morte relicta carmina omnino sepulta in tenebris laterent.

Iacobus Siluius.

Acobus Siluius Ambianus Medicinam dẽsis Arabum tenebris circumfusam & obsitam splendori & nitori suo primus restituit, eiusque studium ad Hippocratis, Galeni, cæterorúmq; Græcorum normam atque disciplinam æterna ingenij & industriæ commendatione direxit. Neq; dissimili claritate Anatomiam ex ipsius Galeni doctrina professus (quod à nemine adhuc præstitum fuerat) singulis humani corporis partibus etiam minimis sua nomina & appellationes aptè admodum & ingeniosè repertas indidit atque imposuit. Sed in hoc illi sua diligentia, quodammodo fuit fraudi, quòd cùm magistro suo Galeno prorsum addictus nusquam ab eius sententia vel minimùm discederet, æmulum in hoc negotio nactus est Vesalium, qui liberiore ingenio exactam rei veritatem secutus aliquantò splendidius hanc

medicinæ partem explicare visus est. Vixit autem Siluius liber & cælebs, ætatísque annum tertium & sexagesimum impleuit: cùm tamen à promissa capillorum canitie venerabilis multò grandioris æui speciem præ se ferret. Neque à tanti Medici præstantia videbatur alienum longiorem sibi vitæ vsuram polliceri. Sed quantum ad eam spem conferebat diuinæ artis industria, tantum immodicæ demebant vigiliæ, dum sibi non temperat assiduo docendi labore perfunctus, non solùm publicè in suggestu Regio, sed etiam priuatim in suis ædibus, collatitia mercede paulò sordidius exacta. Quæ res ei non leuem inussit auaritiæ notam. Neque inter funeris exequias defuerũt ex auditorum numero qui hosce Buchanani iocosos in eum versiculos ipsis templi valuis affigerent,

Siluius hic situs est, gratis qui nil dedit vnquam.
Mortuus & gratis quòd legis ista dolet.

Frementibus reliquis & multùm indignantibus præceptoris benemeriti quietos manes ab ingratis discipulis tam impiè turbari. Elatus est anno reparatæ salutis CIↃ. IↃ. LV. & Lutetiæ in cœmeterio Scholasticorum, vt testamento iusserat, sepultus.

Orontius Finæus.

VM renaſcentes in Gallia Muſas pro ſe quiſq; proueheret, Orontius Finæus in Brianſonio Delphinatum oppido patre Medico genitus à Franciſco Rege lectus eſt, qui Mathematicas artes Lutetiæ profiteretur, quarum vſu & peritia nemini ætate ſua cedebat: cùm operoſum docendi munus pari ſcribendi labore indefeſsè alternaret: atque inter cætera volumina peculiari quodam libro quadraturam illam circuli à multis fruſtra quæſitam ſe tandem aliquando reperiſſe gloriaretur. Hoc enim de ſe facilè credebat homo ſummę doctrinę ſibi cõſcius: cùm tamen veram huius admirabilis inuenti gloriam vni Ioſepho Scaligero faciliora numina reſeruarent. Sed & omnes totius orbis tabulas atq; infinita tum illius diſciplinę tum aliarum artium organa ſua ipſe manu quotidie conficiebat. Quorum nouitate impulſi Proceres, Senatores & exterarum gentium Legati ad illius ædes vltrò ventitabant, nec vllus erat qui non peritior inde recederet. Quibus in ſtudiis cùm triginta ferè annos

feliciſſimè tranſegiſſet, tandem anno ſupra ſeſquimilleſimum quinquageſimo quinto prid. Non Octobr. hora à meridie quarta, qua in lucem venerat, ſexagenario paulò maior de vita deceſſit.

Joachimus Perionius.

NAtus eſt Ioachimus Perionius ad Cormeriacum agri Turonenſis oppidulum opulẽto Benedictinorum monaſterio nobile, cui à prima ſtatim pueritia pro loci opportunitate dicatus eſt. Vt mirum videri poſſit ex illa educatione à politioribus Muſis vt plurimum aliena hominem adeò diſertum emergere potuiſſe. Multa enim ex Platone & Ariſtotele tranſtulit Ciceroniano planè ſtilo. Quod cùm majori eloquentiæ quàm fidei laude præſtitiſſet, incurrit in cenſorem Gruchium qui verſiones illas pluribus in locis à ſe correctas & emendatas magna philoſophãtium approbatione repoſuit. Hic eſt ille Gruchius quem inita cum Sigonio & libris agitata de Romanorum comitijs diſputatio non parum apud eruditos nobilita-

uit. Strebæus autem generosior æmulus non quidem in locis aliquot animaduertendis sed in ijs ipsis libris aliquantò seueriori castitate, nec minori elegantia conuertendis egregiam nauauit operam. Integra tamen Perionij existimatione ex tot politissimis lucubrationibus collecta, & per orbem longè latéque disseminata. Quam etiam Frãciscus ex fratre nepos aliquantùm postea propagauit, edito patrui de Romanorũ Græcorumq; magistratibus opusculo posthumo : ex quo patuit in illo homine super eximium facundiæ nitorem non minimam quoque rerum antiquarum fuisse notitiam. Scripsit & veterum patrum vitas, susceptáque ex Academiæ decreto aduersus P. Ramum Aristotelis & Ciceronis defensione præclarissimè stylum exercuit. Nec patriæ interim oblitus Gallici sermonis originem & cum Græco affinitatem dialogis aliquot Latinè scriptis non incommodè complexus est. His vigiliis notissimus senex paulò ante Henrici secundi necem in illo suo cœnobio de vita migrauit, atque à monachis conuictoribus in eiusdem sacra cella, cui tot annos assueuerat, supremo sodalitatis officio tumulatus.

Petrus Castellanus.

EST verò quòd Petri Castellani Lingonensis eloquentissimi viri beatos manes honorifica recordatione prosequamur. Qui cum apud maximum Regem gratia & auctoritate plurimùm valeret, hac sortis benignitate non ad sua ipsius commoda sed ad communem Reipublicæ vtilitatem vsus est. Hoc enim potissimum suasore Franciscus primus, qui quotidie illum de literis differentem libentissimè audiebat, celebre illud professorũ collegium Lutetiæ fouit atque auxit, quod optimarum artium in Gallia seminarium extitisse nemo est qui nesciat. Quid igitur magis æquum est, quàm eius, qui Musas instaurauit, nomen grata Musarum commemoratione vigere sempiternum? vel eò magis, quod pium istud mortales iuuandi studiũ ne in ipsa quidem morte omisit. Cùm Aureliæ (cuius Pontificatum Matisconense abdicato susceperat) inter concionandum repentino sanguinis ictu perculsus animam de grege suo benemeritam Deo reddiderit.

Ioannes Fernelius.

Mbianus ager, vnde Siluius & eius præceptor Tagautius prodiere, tertium quoq; Medicinæ lumen & quidem cæteris limpidius nobis extulit Iohannem Fernelium virum ſingularem ac planè diuinum. Cuius admirabili Genio id contigit, quod à multis ſeculis nulli quamlibet erudito contigiſſe memini, vt ipſo viuo atque videte opera quæ de vniuerſa Medicina ſcripſit in Scholis publicè legerentur : eiuſque auctoritas veterum ſcriptorum inſtar apud optimum quemque rei medicæ magiſtrum grauiſſimi eſſet ponderis & momenti. Neq; ſanè iniuria: fuit enim in illo viro præter ſummum eloquentiæ candorem non ſolùm Medicinæ, ſed & Mathematicarum artium totiuſque Naturæ tanta vis tantaque cognitio vt prodigij cuiuſdam id fuerit ſimile. Neque verò fuit hoc minus mirandum quòd & eius virtuti Fortuna ipſa bonis vt plurimũ iniqua non defuit. Nam & Lutetiæ ſanandis ægris operam præbens rem egregiè fecit, & ab Henrico ſecundo in Regiam accerſitus principem

cipem inter eius Archiatros locum tenuit. Eo felicis operæ prouentu, vt quod à Natura negatum esse videbatur artis beneficio consecutus inuisam sterilitatem à domo Regia repelleret, Valesiumq; nomen optata generosæ prolis accessione propagandum curaret. Perijt ex mœrore quem carissimæ vxoris importuna mors ægro inualidóque seni attulit VI. Kal. Maias illius anni, quem poëta Medicinæ studiosus non insulsè notauit his numeris.

Con IVge Ferne LIVs rapta perCVLsVs Vt aVLa
Vt LVCIs satVr Vt noMInIs Inter IIt.

Andreas Tiraquellus.

E FONTE Naiadum (sic enim Fontenaium agri Pictauiensis vrbem sibi natalē eruditissimus noster Rapinus ingeniosè, vt omnia, Latinam fecit) claris parentibus ortus est Andreas Tiraquellus, quem hominem vndecunque ad immortalitatem fuisse natum diceres: cum & numerosam sobolem ex honestissima vxore susceperit quæ genus propagaret, & ingentem li-

brorum numerum ediderit, qui nomen æternitati cõſecrarent. In quo mirum adeò illud fuit quod vir grauiſſimus & in ſtudiis forenſibus aſſiduè occupatus tantum otij nanciſci potuerit, vt tot lucubrationes non iuris modo ſcientia, ſed omni diſciplinarum genere refertiſſimas meditari nõ deſineret. Primùm enim apud ſuos Præturam exercuit, indeque prestantis eruditionis fama in Senatum à Rege allectus hoc munere ſanè laborioſiſſimo ad extremam vſque ſenectutem perfunctus eſt: ſcribendi labore nunquam interea remiſſo. Vnde operoſa illa tum de Retractu tum de Nobilitate volumina, itemque de legibus connubialibus & alia quamplurima in lucem exierunt immortalitate digniſſima: quæ vir ampliſſimus Michaël Hoſpitalius eius id temporis collega ſplendidiſſimo poëmate commendauit. Hæc autem indefeſſa corporis ingeniique fœcunditas ex eo maximè oriebatur, quòd ſiue ita eſſet à natura comparatus, ſiue à literarum ſtudiis inſtitutus, animo ſemper placido & ſereno trãquillitatem quandam ac benignam veluti temperiem in omni vita conſtantiſſimè retineret, neque temerè aut ira aut quauis alia grauiori perturbatione videretur commoueri. Vnde & illi vitæ longinquitas ac beati-

tas ea contigit, cuius beneficio natos quoque vestigia sua ingressos, publicisq; muneribus honoratè fungentes ante obitum ipse conspiceret. Obijt enim planè senex haud multò ante quàm inter Henricum secundum & Philippum Hispaniæ Regem post varias bellorum offensiones de pace tandem per vtriusque legatos ageretur.

Æmarius Ranconetus.

AEmarium Ranconetum præstãtis ingenij virum & Iurisconsulti Criticiq; laudem pari studiorũ felicitate consecutum Aquitaniæ inuidit Lutetia, sibique totum asseruit. Is enim Burdegalæ Senatu posthabito in Parisiensem venit, vbi Consiliarij primùm, deinde præsidis æquissimi scientissimique partes impleuit. Eò majori nominis claritudine, quòd in eo certatim elucerent hinc senatoria purpura illinc politiorum literarum splendor. Sed hæc omnia fati malignitas obscurauit. Nam & inter reos delatus & maleuolorum coniuratione in extremum capitis fortunarumque discrimen vocatus est:

neque illi festina mors purgandi sui locum reliquit. Qua calamitate domus tanti viri perculsa non opum modò iacturam fecit, sed earum etiam rerum quæ nullo precio parari possunt aut restitui. Nam quæcunque aut collegerat aut in veterum auctorum difficiliores locos adnotauerat magno rei literariæ detrimento perierunt. Adnotauerat autem plurima, primúsque nouã & insolentem scrutandæ studiosis aperuerat. Quod & iuis paium iucubrationibus eruditi omnes illius tẽporis viri honesta grati animi significatione testatum voluerunt. In quibus fuere Iacobus Lodoicus Strebæus, Adrianus Turnebus, Iacobus Cuiacius, Frãciscus Hotomanus &, qui legis Falcidię restitutionẽ illi acceptam tulit, Franciscus Duarenus. Cùm mirarentur omnes hominem à studiorum laboribus, vt quidem videbatur, abhorrentem neque vnquam in literarum otio deprehensum inaudita quadam & stupenda naturæ bonitate id assequi, quod nec alijs vigiliæ insomnes multorumque annorum industria compararet. Perijt senex meliore fortuna dignus ex impotenti dolore animi vincula & carcerem indignantis. Cui vita functo Renatus Faber auunculus meus ex Senatorum ordine in Præsidis dignitatem successit, cùm

annus ageretur huius ſeculi quinquageſimus nonus.

Franciſcus Duarenus.

PRIMVS Gallorum Franciſcus Duarenus è Brioci fano ad Armoricum Oceanum genere nobili ortus exploſis Barbarorum gloſſematis puros & limpidos veterum Iuriſconſultorum fontes iuuentuti aperuit: tum viua voce, dum apud Biturigas magno nationum omnium concurſu profiteretur, tum ſcriptis quibus etiamnum ſibi ipſi ſuperſtes immortali eruditionis & elocquentiæ laude cõmendatur. Hauſerat enim à Budæi familiaritate paucis adhuc vſitatam Romanæ antiquitatis & Græcæ linguæ notitiam, cùm eius liberis ipſe viciſſim ciuile ius adoleſcens interpretaretur. Totúmq; triennium in ſuprema Lutetiæ curia verſatus quæſitam in vmbra & otio Iuriſprudentiam vſu & exercitatione forenſi abundè confirmauerat. Quibus præſidijs ornatus ad publicam eius profeſſionem accedebat longè paratior & inſtructior. Florebat in eadem ſchola

Eguinarius Baro in ijs quoque numerandus qui primi bonarum artium lumine ciuilem disciplinam illustrauerũt. Non obscura Duareni æmulatione. qui cùm omnem huius pręclarissimi instituti gloriam ambitiosissimè affectaret, hominum opinioni de Baronis doctrina conceptæ nonnihil detrahere conatus est, edita in eum de Iurisdictione & imperio apologia maleuoli animi teste in posterũ futura, nisi humanarũ rerum memor extincti post aliquot annos collegæ, & quidem popularis sui, pios manes posito sua pecunia in eius honorem monumento placauisset. Erat autem Duarenus acerrimo quidem iudicio, sed memoria minus felici, neque vnquam nisi ex scripto prelegebat. Quo factum est vt in Germanico itinere cùm passim à doctissimis viris ad prælegendum prouocaretur, nec eorum vtique desideriis obtemperaret (quòd à suis commentariis destitutus omninò sibi diffideret) à nonnullis rerum imperitis & iniquè iudicantibus habitus sit indoctior. Vixit cælebs ad quinquagesimũ ætatis annum, quem nec attigerat, cum ex diuturna quartanæ tabe vitam amisit sub id tempus, quo Henricus secundus Galliæ Rex lancea percussus Lutetiæ inter spectacula moritur. Quod à me adolescente in gratiam hominis amicissimi

& in iure præceptoris mei hoc epigrammate ſignatum eſt.

MAgnanimum Henricum Gallis qui ſuſtulit annus,
Idem etiam letho te, Duarene, dedit.
Ille decus fuerat ſummorum nobile Regum,
Doctorum fueras nobile & ipſe decus.
Quot geſſit bella vt contunderet ille furorem
Siue, Hiſpane, tuum, ſiue, Britanne, tuum?
Tu quoque dum vindex Themidis fortiſſimus inſtas
Quot cum Barbarie, quantáque bella geris?
Poſt varios caſus iam victor vterque manebat,
Partáque iam fuerat pacis vtrique quies.
Sed dum aliquam ad tempus petitis poſt bella quietem
AEterna eſt vobis ecce reperta quies.

Joachimus Bellaius.

SBELLAIVS non
nio quàm natalium
obilis Muſas duce
Galliam aduentan-
tes primus excepit: adeò quidem feliciter vt in ſuis ſcriptis, quæ plurima & lepidiſſima edidit, Ouidianam illam vbertatem falicitatémque planè redoleat. Atque hoc de illis præcipuè dictum velim, quæ Gal-

licè ſcripſit. Nam cum Romam profectus hortante Io. Bellaio Cardinale gentile ſuo ad Latina ſe conuertiſſet, certè res illi paulò minori felicitate ſucceſſit: homini videlicet leuioribus aſſueto. Suus enim cuique linguæ attributus eſt lepos, neque mollities illa ſermonis quæ idiomati Gallico propria & peculiaris eſt Romanæ linguæ dignitatem, grauitatemq; ferre poteſt. Quanquam & carmen de Veronide, & luſus de puellæ raptu, & arguta cum primis epigrammata ſuos meritò laudatores inuenere, quorum iudicio vt vix vllum in carmine Gallico parem, ſic paucos habet in Latino ſuperiores. Impediebat ſurdæ auris vitium, quod in Italica peregrinatione collegerat, quominus frequens in Regis aula verſaretur: cùm tamen huic eſſet à ſtyli elegantia & ſuauitate acceptiſſimus: nec vllum patrij ſermonis opus lubentius in tota Gallia legeretur, quàm aurei duo de Roma libelli, quorum altero collapſa vetuſtæ vrbis monumenta, altero corruptos aulæ Pontificiæ mores, totamque aulicorum gentem aculeatis vbique epigrammatis aptiſſimè depinxit & ob oculos poſuit. Lutetiæ ſub annum ætatis quintum & triceſimum repentina reſolutione neruorum corpus vniuerſum infeſtante diem clauſit & in D. Virginis æde,

in qua

in qua ſacerdotium præcipuæ dignitatis obtinebat, honorifico funeris apparatu ſepultus eſt, ipſis Kal. Ianuarijs illius ineuntis anni, quo tumultus Gallici primus fomes ad Ambosium oppidum exarſit. Vt hæc vitæ breuitas eò minus dolenda cenſeri debeat, quòd eum inſtanti totius patriæ incendio tam op-

Petrus Bunellus.

LVM Tholoſæ itum cõmen- mores cum coniuncti.

——nis, neq; cum vllo communicatum Ciceronianæ facundiæ decus, quo dum Venetijs apud Legatos Regios ageret, Italica ingenia ſic cepit, vt Manutius eorũ diſertiſſimus fateretur ſe rectam Latinè ſcribendi rationem à Bunello didiciſſe. Quod mirari deſinent qui epiſtolas ab illo ſcriptas legerint: nihil enim cultius aut politius fingi poteſt. Has autem veluti naufragij relliquias collegit & in lucem emiſit Carolus Stephanus de literis benemeritus,

cùm Bunellus ipse in Italiam tertiò proficiscens & Fabros adolescentes ingenuos, totíque Galliæ maximo post ornamento futuros ad capessenda legum studia secum deducens Taurini lethali febre deprehẽsus anno ætatis quadragesimo septimo expirasset.

interea versus argutissimos atq; suauissimos condidit, quorum pusilla quædam fragmenta supersunt beneficio Rolandi Betolaudi non vulgari doctrina viri ab interitu vindicata. Cætera nisi periissent eiusmodi erant, vt nulla vetustate aboleri possent: præsertim Tragedię, in quibus Senecam vnicum earum apud Latinos exemplar adhibito iudicio prudentissimè imitabatur: vt qui grauitatem

pro re interdum aptissimè remitteret. Hanc autem scribendi facultatem potissimùm imbiberat ex doctorum hominum qui Pictauiensem Academiam frequentabant vsu & sermonibus, acimprimis ex M. Antonij Mureti consuetudine : qui dum iuuenili ætate in gymnasio Sammarthano doceret, hunc studiorum comitem & æmulum habuit. Neque hoc vtique tacendum est, Ioachimo Bellaio Parisijs ad legum studia recens illuc profecto natum fuisse inter illos tres certamen poëticum, iudice Salmonio Macrino Iuliodunensi, qui è tribus Epigrammatis amatoriis Fuluiano palmam attribuit. Perijt verò Fuluius iuuenis A riti Pictonum in prima intestini j procella, exorto apud Iacobitas inianimmo tumultu, cùm cæcus plebis concitatæ furor in ipsas templi statuas temerè sæuiens & obuium quemque ferro petens omnem repente vrbem insolito pauore perculisset. Qui nimirum subito caloris natiui spirituúmque & sanguinis ad intima recursu hominis meticulosi molliorem animam facilè oppressisse creditus est.

Petrus Bulengerus.

PETRVS Bulengerus Trecensis Græcè & Latinè cum primis eruditus poterat, si celebriore loco docuisset, inter clarissimos huius ætatis professores locum mereri. Sed, quod fuit hominis ingenium, Iulioduni sorte sua contentus in ciuium liberis erudiendis tacitè consenuit. Similíque modestia cùm Historiam de rebus Gallicis partim ex probatissimi scriptoris G. Halliani Franciæ Historici opere Gallico traductam partim suo ipsius labore & industria concinnatam à primis regni exordiis ad hæc fermè tempora Latina vbertate perscripsisset, hanc lucubrationem sanè egregiam exemplo suo latere maluit. Quæ si quando ab eruditis eius filijs Iulio Cæsare Ecclesiaste, Regio & Daniele paterni studij successore in lucem proferatur, non dubium est quin hunc auctori suo locum iure deberi liquidissimè sit probatura.

Jacobus Gopilus.

IACOBVS Gopilus comparatis vtriúſq; linguæ diuitijs cùm aliquot annos partim in Pictonibus, vnde ortus erat, partim in Santonibus apud quoſdam primæ nobilitatis equites in eorum liberis inſtituendis collocaſſet, Lutetiã petijt, vbi Medicinam quoque profeſſus extincto Siluio principem in illa explicanda locum adeptus eſt. Cùm & publicè magna frequentia doceret & in veterum Græcorum qui de illa arte ſcripſerunt codicibus recenſendis priuatam operam impenderet. Cuius laboris indices habemus fidiſſimos Trallianum, Dioſcoridem, Actuarium & alios magna diligentia iudicióque recognitos & adnotatos. Verùm gliſcẽtibus in Gallia ciuilibus diſcordiis, cùm turbulenti de plebe homines in Muſæum, quod pluribus voluminibus tum impreſſis tum manuſcriptis ornatũ habebat, inuolaſſent, ſacramq; illam ſuppellectilem profanis manibus violaſſent ac diripuiſſent, tantum inde mœrorem collegit, vt extremum vitæ

diem clauderet & Ecphrasim quam in omnes Hippocratis libros meditabatur inchoatam relinqueret.

Jacobus Hollerius.

VIVS lectissimi viri patria fuit ager Stempensis non longè à Lutetia dissitus. Quæ loci proximitas opportunum illi aditum ad nobilissimam totius orbis academiam præbuit, in qua Medicus breui tempore factus est omnibus numeris absolutus: siue perfectam artis cognitionem spectes, siue in morbis curandis vsum & solertiam: cùm in ore subagresti summa lateret vrbanitas, ægrorúmque mentes non minus quàm corpora, iucunda sermonis comitate & hilaritate recrearet. Homo apertus & nullius rei dissimulator. Quam ingenui animi libertatẽ carpentibus nonnullis, monentibúsque oportere Medicum ad multa conniuere, quòd sub alijs vitam paret, respondere solebat alios viuere beneficio Medicorũ, Medicos suo. Sed hoc vnicè dolendum est, quòd ex doctissimis

tanti viri ſcriptis pauca tantum & poſthuma neque dum ab auctore conſummata peruenerunt in hominum manus: cætera aut à plagiarijs ſurrepta sũt, aut magno humani generis incommodo ſuppreſſa perierunt. Neque minori diſpendio accidit vt eruditiſſimus filius in ſuprema vectigalium curia Senator, qui morienti ſuperſtes fuit, ante nobis eriperetur, quàm vlla ſummę doctrinæ argumenta literis conſignata relinqueret. Quod forſitan à ſeneſcente poterat expectari, niſi mors acerbior id vetuiſſet. Iuuenis enim dum vixit otij prorſus impatiẽs & impotẽti peregrinandi amore correptus quoties à publico munere vacabat, ceu compedibus ſolutus, cõtinuò ſe quà in Aſiam, quà in Africam ad exteras nationes inuiſendas diſſimulata ſuis profectione proripiebat. Minimè ſcilicet contentus ea, quæ ex librorum lectione comparari poteſt, rerum naturæ notitia, niſi varios hominum mores, regionúmque ſitus & loca ipſis oculis videret ac pernoſceret. Obijt autem Hollerius pater ſub ipſa belli ciuilis initia, paucis ante menſibus quàm in Druydûm campo captis vtrinque ductoribus ancipiti diu Marte pugnaretur.

Adrianus Turnebus.

Drianum Turnebum, ſingulare ſui ſeculi decus, produxit Andelia Rotomagenſis agri oppidulũ tanti viri natalibus in poſterum nobile. Is autẽ pauca ſcripſit ſi hominis eruditionem ſpectes: totius enim Gallię doctiſſimꝰ merito ſuo iudicatur. Sed eiꝰ præcipua in docẽdo laus fuit, dum Toloſa, vbi profitebatur, Lutetiam reuocatus & Tuſano vita functo ſucceſſor appellatus diſcipulis, qui ab vltimis orbis terræ partibus frequentiſſimi ad illum audiendum cõcurrebant, reconditæ antiquitatis theſauros omnes mira quadam facundia depromit. Quãquã & ea quæ ſcripſit eiuſmodi ſunt vt auctoris decus atq; dignitatem præ ſe ferant. Nam in poëmatijs ſublimis eſt atq; acutus, in oratione ſoluta terſus atq; elegans. In aduerſarijs verò tot veterum tum Græcorum tum Latinorum difficiles loci aut emendantur aut explicantur, vt dubium fecerit plúſne in eo ingenij an diligentiæ admirari debeamus. Statura fuit mediocri, facie honeſta, probis moribus accedente ad cæteras virtutes

virtutes incredibili modeſtia: vt æmuli ſubinde per opprobrium illi obijcerent quod vultum virginali pudore demiſſum gereret. Cùm tamen ſub verecũdo eius ore latentem generoſi ſpiritus indolem ipſi quoque experirentur. Vixit annos LIII. reliquitq; moriens plures filios paternarum virtutum hæredes omnes certatim futuros, niſi fata inuidiſſent, vno tantũ ex illis ſuperſtite: quem etiamnum grauiſſimo Senatoris munere pari doctrinæ probitatiſq; laude fungẽtem Lutetia veneratur. Diem vero ſuũ obijt prid. Id. Iunias anno huius ſeculi LXV. atq; in cœmeterio Scholaſticorum iuxta Siluij collegę cineres nulla funebri pompa, ſic enim iuſſerat, ſepultus eſt.

Carolus Molinæus.

CAROLVS Molinæus Pariſienſis Iuriſconſultorum ſuo ſeculo doctiſſimus omnes ſupremæ curiæ patronos ſi nõ dicendo (nam lingua nonnunquam hęſitabat) certè ſcribendo reſpondendóque facilè ſuperabat. Quo in munere tandiu permanſit, dum exardeſcente inter Henricum ſecun-

dum & Iulium Pontificem maximum bello in Romanam curiam ea ſcripſit, quæ cum ad tuendam Eccleſię Gallicæ libertatem ſpectarent, à quibuſdam ita ſunt accepta, quaſi auctoritatem Pontificiam cõuellere videretur. Quo nomine volũtarius exul in Germaniam abiit, vbi tanto omnium principum ciuitatumq; applauſu exceptus eſt, vt certatim ab illis aut ad profitendum aut ad de iure reſpondendum propoſitis præmiis inuitaretur. Inſigni leuitatis documẽto, cùm poſt aliquot annos mutatis ex Religionis diſſidio animis, à nonnullis eorum in vincula coniectus indigniſſimè haberetur, nec niſi eluſis cuſtodibus vna cum vxore & liberis induta famuli perſona euaderet. Nec verò in Galliam ex Regis decreto reuocatus fortunam apud ſuos æquiorem expertus eſt, recrudeſcente in dies maleuolorum inuidia, per quorum tandem inſidias vir innocentiſſimus in ipſa ſenectute carceris moleſtiam ſubijt. Sed ea fuit in illo ingenij vis & copia, quæ nec inter tot ſæuientis Fortunæ procellas à ſcribendo abſtineret: vt non ſolùm Romani Iuris plures locos, ſed & multarum Galliæ gentium, maximéque, vt bonum ciuem decuit, Pariſienſium leges municipales non vulgari ſubtilitate interpretaretur. Quos induſtriæ ſuæ

testes si quando in lucem produceret, his ferè se Galliæ & Germaniæ Iurisconsultum inscribebat. Arroganter quidem, sed verè: cùm ex eiusmodi commentationibus tanquam ex viuo & iugi quodam fonte perennes Iurisprudentiæ riui ad omnes omnium nationũ homines abundè profluerent. Obiit Lutetiæ anno salutis CIↃ. IↃ. LXVI.

Gulielmus Rondeletius.

ACademia Mõspeliensis Medicinæ studio florentissima nullum vnquã huiº professorem habuit Rondeletio alumno & ciue suo clariorem. Qui siue loci opportunitate & genio, siue quadam animi propensione à puero totum Apollini se dedit: neque tantum apud suos verùm & Romæ & apud Belgas & in optimis quibusque Galliæ vrbibus diuinam illius artem exercuit. Sed enim cum esset Monspessuli professor publicus, Academiæq; præfectum siue, vt illi vocant, Cancellarium ageret, præcipuam studiorum sedem in illa vrbe constituit. Ibi multa quidem præclarè molitus est, sed nihil memo-

rabilius in vita perfecit, quàm cùm magnifico eruditionis apparatu, non ſine Gul. Pellicerij doctiſſimi quoque viri auxiliaribus copijs, vaſtum illud Neptuni regnum ingreſſus, ampliſſimis eius ſpoliis onuſtus ad nos redijt, Aquatiliumque ſpecies omnes tum ſpectandas tum cognoſcendas nobis obtulit. Quod enim attinet ad poſthuma eius opera, indignum eſſet ea celebrare, quæ ipſe dum viueret luci edere neglexerit. Vixit abſtemius & viribus integris ad ſexageſimum propè annum ætatem produxit: videbaturq; longius producturus, cùm Tholoſa redeuntem anno CIↃ. IↃ. LXVI. dyſenteriæ morbus ex immoderato ficuum eſu contractus inuaſit, cuius infeſtis doloribus intra paucos dies oppreſſus eſt.

Petrus Montaureus.

reo ſummo viro
, Italia cultum
fortunarum do-
rat is vultu gra-
ſeuero, nec te-
merè cuiuis aut in acceſſu facilem aut in congreſſu familiarem ſe offerebat. Licet à Muſa-

rum amœnitate non alienus verſibus interim ea luderet, quibus nihil excogitari poterat in ſuo genere aptius nihil perfectius. Atq; hæc moroſitas non tam à natura ipſa quàm à ſtudiorum laboribus & aſſidua meditandi conſuetudine proficiſci meritò cẽſebatur. Quicquid enim temporis à ciuilibus negotijs & Senatorio munere, quod in magno Regis conſilio ſuſtinebat, vacuum ſupereſſe poterat, id omne ponebat in literarum ſtudijs, ac pręſertim in Mathematicis, quorum inſatiabili àmore tenebatur. Hoc enim eius ſcripta in Euclidem & quidem in decimum librum à paucis adhuc tentatum ſatis declarant. Sed & philoſophiam vnicè colebat, iis grauiſſimè infenſus qui ſcriptionibus ſuis Ariſtotelem ſummum eius Antiſtitem his temporibus lacerare non ſunt veriti. Neque vllam in eos inuehendi prætermittebat occaſionem. Non tamen tot egregiæ quæ in illo fulgebant ingenij dotes obſiſtere, quin tertio bello ciuili exul & profugus neq; dum planè ſenex apud Sancerras in agro Bituricenſi moreretur. Ad cuius rei tam indignæ nuncium M. Hoſpitalius in verſus erupit acerbitatis & querellæ plenos, quibus vir ille clariſs. æternam huic ingrato ſeculo maculam inuſſit.

Joannes Mercerus.

Vblato è viuis Franciſco Vatablo Hebraicarum literarum apud Gallos inſtauratore, vnus in eius locum ſuffici promeruit Ioannes Mercerus, cui primas in eo genere docti omnes magna cum ingenij admiratione deferebant: & eò quidem majore quò ſerius ad hæc ſtudia ſe applicuit. Cùm enim, vt erat honeſta ortus familia, in eam ſpem à ſuis educaretur vt ſibi ad Reipub. gubernacula & dignitates viam pararet, Iuri ciuili operam adoleſcẽs Auenione Tholoſæque primùm impenderat, eiúſque otij non leue documentum ediderat Harmenopulo è Græca lingua fideliſſimè tranſlato. Sed longè grauiora ſunt & homine Chriſtiano digniora quæ mox in Iobum & in omnes prophetas magna diligentia paríque iudicio commentatus eſt. Plura etiam præſtiturus niſi Venetijs rediens, quò ſe tumultuante iterum Gallia in Ferrerij Legati Regij comitatu contulerat, apud Nitiobriges patriam ſuam lethali morbo deprehenſus ante annos occidiſſet. Corpore fuit gracili & à ſtudiorum la-

boribus macilento, ſed voce robuſta & virili quæ auditorium probè impleret: temperantia autem, pudore, modeſtia & cæteris animi bonis ſupra variæ doctrinæ laudem nulli ſecundus. Cui & hoc à Superûm indulgentia cõceſſum eſt, vt ſibi ipſi quodammodo ſuperſtes non omnino cũ morte interiret. Vxorem enim duxerat Allerij nobilis viri & Antoniæ Deloinæ filiam, Camillæ Morellæ virginis doctiſſimæ ſororem: quo ex connubio filium tanto patre dignum ſuſtulit.

Petrus Ramus.

APVD Cuthum agri Veromandui vicum natus eſt Petrus Ramus patre quidem agricola, ſed ex ſtirpe nobili, quę genus ſuum ex Eburonibus repetebat. Auus enim infeſtis Burgundionũ armis patria pulſus, boniſq; omnibus exutus ad Veromãduos cõfugit, ibique carbonariam artem exercuit. Ille autem cùm à puero ingenita quadam diſcendi cupiditate incenſus Lutetiam ſponte adiiſſet, ſuperatis omnibus paupertatis incommodis in virum doctiſſimum tandem

euasit, susceptoq; profitendi munere æquales suos omnes tum auditorum frequentia tum eloquentiæ fama longissimè anteiuit. Præsertim si quando plenis subselliis magna oris & sermonis dignitate Ciceronem aut alios Latinæ linguæ proceres interpretaretur. Nã philosophiam neque tam aptè tractabat, & dum editis in Aristotelem animaduersionibus summum illum philosophum liberius insectatur, mirum quantos in tota Parisiensi Academia tumultus excitarit. Postremò & Mathematicas disciplinas auidissimè amplexus est: quarum studia tanti fecit, vt munificentia quadam Regia publicam earum professionem Lutetiæ institueret, annuáque in id stipendia de vectigali suo legaret. Quin & cùm virorum hoc doctrinæ genere præstantium magnus esset in Germania numerus, horum vt optato congressu animum expleret, liberam à Rege legationem feruentibus in Gallia bellis impetrauit. Indéq; pace, vt quidem videbatur, Gallis restituta ad suã stationem reuersus est. Sed mox interfecto Collignio cùm in omnes qui ab illo steterant impune sæuiretur, Ramum quoq; sicarij ex æmuli insidiis pugione confossum in propinquum Sequanæ profluentem immanitate planè Barbara demerserunt.

Dionysius Lambinus.

Ionysius Lambinus Monstrolij ad Oceanum quamquam cælo crasso & turbido Musis tamẽ serenis & fauentibus natus ab earum dulci commercio quæsitas multiplicis eruditionis opes tunc potissimùm discendi cupidæ iuuentuti explicuit, cum ex Italia reuersus, vbi plures annos in Franc. Turonij Cardinalis comitatu vixerat, optimos quósque Græcæ Latinæq; linguæ auctores Lutetiæ in Schola Regia siue prælegendo siue commentando explanaret. Vnde manarunt illi vberes in Lucretium, Horatium, Plautum commentarij, qui vice variarum lectionum esse possint. Nam de Ciceronis operibus quæ summa diligentia nec minori fiducia recensuit alij iudicabunt. Certè quàm studiosè multúmque fuerit in eius auctoris lectione versatus documento sunt aduersariæ Demosthenis & Æschinis orationes, Aristotelis politica, libríque de moribus, & quæcúnque præterea de Græco Latina purissimè fecit. Vir vtique eximius & ob

exactam vtriúſque linguæ peritiam à doctiſſimis viris, quibus Italia tunc affluebat, maximo in honore habitus. Suſceptis ex Vrſina vxore nobili matrona liberis, cùm annum ætatis ageret quinquageſimum ſextum, paulò poſt Amiralij ſuorúmque cædem fato functus omnibus Muſarum alumnis acerbiſſimum ſui deſiderium reliquit.

Michael Hoſpitalius.

VEnio nunc ad Michaëlem Hoſpitalium virum incomparabilem, neque ſolùm Aruerniæ, vbi fauſto ſiderum cõcurſu primum ortus eſt, ſed omnino Gallię, imò & Europæ totius immortale ornamentum. Qui omnibus & humanitatis & Iuriſprudentiæ ſtudijs tum in Gallia tum in Italia liberaliſſimè inſtitutus adeò felicibus auſpicijs Rẽpublicam aggreſſus eſt, vt nullam eius partem intactã relinqueret, donec ad ſupremam togati ordinis dignitatem peritiſſimus omnium accederet. Quinetiam eius quædam veluti rudimenta poſuerat Cancellarij quo-

que honore functus apud Allobrogas, quorũ Principi Margaretæ Henrici Regis sorori virtutis & literarum nomine gratissimus semper fuit. Sed profecto tam exilis prouincia tantum virum non capiebat. Itaque hunc in maximis suis temporibus meritò sibi Gallia vindicauit. Quæ tamen salutaribus eius consilijs longùm frui non potuit: cùm è primoribus nonnulli ad imperij Gallici perniciem nati homines omnem publicæ vtilitatis occasionem auerterent, neq; porrò conquiescerent donec sanctissimum senem sacri sigilli custodiæ octauo post initum magistratum anno eximerent. Majori certè Reipublicæ damno, quàm suo. Ille enim, vt erat ab omnibus philosophiæ præsidijs instr
hanc lubricæ sortis inconstantian
& æquo animo tulit. Specie fuit augusta, vultu graui & tranquillo, qui vt ex veteri numismate apparuit Aristotelis faciem planè referret. Sed neq; ingenio minus eum referebat, cùm ipse quoq; philosophiæ & quidem verioris optimus magister multa de iure scripserit, quæ nisi premerentur summam procul dubio Reipublicæ vtilitatem afferre possent. Poëmata non premuntur beneficio clarissimorum virorũ Vidi Fabri & Michaëlis Huralti eius generi, magni Hospitalij nepotis,

qui ea ſtudioſiſſimè collegere & in lucem emittenda curauere. In his autem Hoſpitalius Horatium præcipuè imitatus eſt: ita tamen vt verborum nitore & ſententiarum grauitate illum æquarit, carminis certè lenitate ſuperarit. Fato functus eſt in Viniano ſuo circiter ſeptuageſimum ætatis annum, III. Id. Mart. anno Chriſtianæ ſalutis CIↃ. IↃ. LXXIII.

Reginaldus Clutinius.

REGINALDVS Clutinius patricius Pariſienſis à Patre Senatus Præſide in ſpem ſucceſſoris educatus fœcundis Iuriſconſultorum latifundiis amœna Muſarum viridaria prætulit: cùm Oſelius quoque frater natu major neglecto literarum otio ad bellicas artes & Reipublicæ munia ſe contuliſſet. Neque ſanè improſperè: hic enim & in Scotia Franciſci ſecundi Legatus Anglorum arma fortiſſimè repulit & Romæ Caroli ſucceſſoris Orator multa magni momenti negotia fideliſſimè procurauit. Hinc fiebat vt ex eius commendatione principes, apud quos virtutis nomi-

ne gratiosius erat, Clutinium fratrem plurimis & opimis sacerdotiis ornarent. Ille igitur hac fortunæ indulgentia vsus vitam cœlibem egit inter honesta studia, carminis præcipuè Latini curiosus artifex, & Maro-

runt: vt mirum non sit si vir factus ad summum in illa arte principatum Lutetiæ suo

tempore peruenerit. Nec interim illi defuit Latinæ orationis facultas & poëticus lepos minimè vulgaris, cuius in Nicandro & Græcorum aliquot epigrammatis transferendis nobile argumentum edidit. Sanè in ipsius Nicandri interpretatione id eximium fuit, quod res ieiunas & à poëtica vbertate multũ abhorrentes seruata vbique carminis lenitate fideliter expressit, additis etiam commentariis & non iniucunda de lepore marino ad Gul. Rondeletium apologia. Scripsit & Medicarum definitionum libros, in quibus omnium quæ ad medicinam pertinent naturæ, differentiæ, proprietates explicantur. Opus egregium & perutile, quod cum eruditis omnibus satisfecerit, ipsi tamen auctori non satisfecit. Statuerat enim ornare illud & amplificare, nisi valetudinis incommoda vetuissent. Nam bello flagrante cùm forte lecticam in qua vehebatur siccarij & perditi homines inuasissent, repentino terrore exanimatus quam longa exinde vita fuit (vixit autem ad annos septuaginta duos) à seipso deficere quodammodo visus est, in eaq; ægritudine sub annum huius seculi septuagesimum septimum de vita decessit.

Remigius Bellaqua.

E quoq; Remigi Bellaqua Nogēti Vnellorum oppidi alumne iniquum ſit inter nobiles huius ætatis poëtas non recenſere. Qui omnino ſiquid verſibus effingēdum ſuſciperes, præſertim in Bucolicis, rem ipſam pingere & oculis ſubijcere videbaris. Anacreontis autem poëtæ temulenti Græcas Odas ab Henrico Stephano luci redditas quo ſermonis Gallici lepore, quanta facilitate vir omnium maximè frugi & ſobrius expreſſiſti? Sed inter eximios ingenij fœtus, quibus patriam exornaſti, præcipuum illud poëma fuit, quo varias gemmarum ſpecies facultatéſque perſequeris, eo quidem carminis nitore qui cum ipſis gemmis certare iudicetur. Obijt Bellaqua ſub annū vitæ quinquageſimum ingenti ſodalium luctu, quorū humeris in ædem D. Auguſtini magis honeſta quam ſumptuoſa funeris pompa illatus eſt, ab illíſque omnibus ſupremum carminis officium tulit, maximè à Rōſardo, qui Gallicum epitaphium à ſe conſcriptum lapideo eius

tumulo iussit insculpi. Et nos ei dum viueret hoc in Anacreontis versionem epigramma quondam lusimus.

ANtè quidem lepido referebas carmine totum
Anacreonta, Remigi,
Nunc etiam similis magis incipis esse, quòd alba
Canent, vt illi tempora.
Discrepat hoc tantùm, quòd sobrius ebria cantas
Senis faceti pocula.
Quòd si de solito quid fortè pudore remittas,
Musisque iungas Liberum,
Quàm bene vinosus superares vina canentem,
Qui siccus illum sic refers?

Ludouicus Regius.

LVdouicus Regius Constantinus Philippi Cossæi Constantiarum Episcopi alumnus Latinis aliquot epistolis & Budæi vita mũdissimè scripta pedestris facundiæ laudem à doctissimis Italis non vano iudicio adeptus est. Atque vbi plures annos nunc in Italia nunc in Regis aula consumpsisset, Lutetiæ tandẽ redditus relictis Gręcis & Latinis ad patrię linguę studiũ se applicuit, multósq; philosophiæ locos ex Platone, Aristotele

ſtotele, Xenophonte deſumptos Gallicis verbis aptè admodum illuſtrauit. Erat enim in omnibus diſciplinis egregiè verſatus, quæ res ei ad nouum & inuſitatum ſcribendi genus non parum adiumenti attulit. In hoc porrò non ferendus, quòd iniquus alienæ induſtriæ æſtimator ſcriptores ſui temporis ferè omnes acerbiore ſubinde cẽſura perſtringebat. Qua carpendi libidine cum Ioach. quoque Bellaium temerè offẽdiſſet, ab illo magni nominis poëta præter ſpem iocoſis & mordacibus verſiculis exceptus longùm apud oẽs aulicos in ridiculo fuit. Nouiſſimè dũ Timęi Platonici tralationem adornat, anno CIↃ. IↃ. LXXIX. iam ſenex morte ſublatus eſt, eruditis quidẽ luctuoſa, ſed ipſi nequaquam importuna, quę mẽte à vilium rerum cogitationibus abducta tam grauia ſeriò meditantem adorta eſt.

Gulielmus Poſtellus.

HIC apud Barentonium Normaniæ vicum obſcuris ortus parentibus cum ingenium apprimè capax & ad concipiendas artes idoneum à Naturæ bonitate accepiſſet, melioris diſcipli-

næ ſubſidio deſtitutus ea nitidioris eloquentiæ facultate caruit, quæ vna maximè doctorum hominum ſcriptis dignitatem atque ſplendorem afferre poteſt. Adoleſcentiam vix attigerat, quando ipſe adhuc docendus difficile docendi munus aggreſſus eſt: cumq; multos vitæ annos in vicinorum liberis erudiendis ac perpetuo ſtudiorum labore traduxiſſet, tandem è ludimagiſtro pagano Regius peregrinarum linguarum profeſſor Lutetiæ fieri meruit: editis earum commentariis quibus duodecim inter ſe differentes & variæ ſuperba doctrinæ oſtentatione explicantur. Neque multò poſt viſendi orbis cupiditate incenſus reliquit Galliam, confectáque ſedecim annorum peregrinatione Venetijs demum conſedit. Vbi neſcio cuius mulierculæ præſtigijs abſurda quædam & impia de Religione commentus eſt, quæ deinde Lutetiæ frequenti auditorum turba publicauit. cùm ſe morte obita reuocatum ad ſuperos & iuuenili ætati reſtitutum ineptè mentiretur. Magna quidem ſtolidæ plebis admiratione, præſertim eorum qui ante profectionem eum nouerant, quòd videlicet meminiſſent iam vetulum & caneſcentem hinc abiiſſe, quem longo poſt interuallo reducem nigrante barba & æui flore conſpi-

cuum cernerent. Sic enim eos captabat, simulatoq; per pigmenta miraculo fidem suis nugis atque auctoritatem conciliare conabatur. Sed vrgente magistratu violatæ persuasionis reus aufugit in Germaniam & in Ferdinandi Cæsaris aula tandiu fuit, dum recantatis erroribus in patriam redeundi & publicè profitendi facultas à Principe reddita est. At cum eodem recidere videretur, ex Senatus decreto in D. Martini monasterium relegatus est. Quo in secessu viribus integris ad alterum & octogesimum huius seculi peruenit annum, cẽtenarioq; proximus interijt.

Jacobus Peletarius.

TE verò, Iacobe Peletari, non vulgare Cœnomanorum decus, quo potius nomine cõmendem? Fuit enim tibi varium & versatile ingenium, quod nullis inclusum, spatijs per omnes omnium generum disciplinas liberius euagaretur. Eãdemq; & in omni vita libertatem seruare visus es, cùm nullibi vnquam stabile rerum domicilium elegeris. Nec eò minus interea solebas ea meditari &

componere, quæ nonnisi ab homine planè quieto & in studiorum laboribus assiduo proficisci viderentur. Majori tamen famæ quàm fortunæ prouentu. Cui faustissimũ exordium præbuerunt elegantes illi de Orthographia dialogi ad veterum imitationem tibi Gallicè conscripti, quibus præter vsu receptam apud Gallos scribendi rationem & formulam perinde scribendum ac loquendum asseueras. Scribebas autẽ ea lingua profectò mundissimè, neq; solùm dialogos, epistolas & poëmata, quę nitorem orationis facilè recipiunt, verumetiam asperas & spinosas Mathematicarum artium præceptiones, quas admirabili methodo facilitatéque tractabas. Nam licet Medicinæ nomen dederis, Matheseos tamen studiũ, quo iuuenis flagraueras, neq; vir neq; senex vnquam remisisti, multa in Euclidem Latinè cõmentatus, quæ iam extãt: sed castigationes & scholia, quæ dum Critici quoque personam sustines in Ciceronem, Virgiliũ & Horatium antè paulò quam nobis eripereris exaraueras, nõdum, quod sciam, in publicum exierunt. Te autẽ luximus eodem illo mense Galliæ insuper luctuoso, quo à nostris Philippo Strozio duce aduersus nauales Hispanorũ copias ad insulam D. Michaëlis infeliciter pugnatum est.

Christophorus Thuanus.

THVANA gens antiquæ nobilitatis à Thuano Campaniæ Belgicæ castro, quod olim possedit, nomen sortita diuisa fuit in familias plures. Quarum vna traiecto Sequana migrauit ad Celtas & in Aureliano saltu consedit. Huius auctor & princeps fuit Sylvester homo strenuus Aurelianensis prouinciæ præfectus, cuius deinde posteri perstiterunt in equestri ordine: donec Iacobus Iacobi filius natu minor ad studia togæ se contulit, Regiique patroni munus à principe obtinuit. Fuit illi filius Augustinus, qui & ipse paternis vestigiis inhærens in Senatum assumptus & ad Præsidis honorem euectus est: susceptis ex vxore claro loco fœmina Henrici Marliani Galliarum Cancellarij pronepte vno & viginti liberis, quorum natu maximus fuit Christophorus hic noster amplissimi ordinis lumen & splendor. Is ab adolescentia forum ingressus tantisper in illa palæstra se exercuit, dum ab Henrico II.

Rege præcellentis eruditionis, probitatis & facundiæ merito Præses quoque diceretur. Nec ita multò post Ægidio Magistro Senatus principe vita functo, in eius locum à Carolo IX. Henrici filio cum incredibili bonorum omnium applausu & lætitia suffectus est. Quo in grauissimo munere totos viginti annos ita se gessit, vt accedente ad cæteras, quibus eminebat, virtutes, admirabili vigilantia omnes qui antecesserant longo interuallo anteiret, neque principis modo gratiam, sed & omnium ordinum fauorem beneuolentiámque promereretur: cùm Senatoriam seueritatem singulari quadam oris & sermonis comitate condiret. Certè quantus esset ciuium amor & de summa eius virtute iudicium tum facilè expertus est, cùm asperrimis temporibus vnum elegere quem vrbi præficerent, & cuius fidei se, fortunásque suas omnes crederent: magno quidem vrbis commodo, sed nec minore ornamento, cùm pace constituta publicis eam monumentis & ædificiis maximè omnium auxerit. Postremò & à Francisco Regis fratre serenissimo Andium ac Belgarum duce ad Cancellarij dignitatem vocatus tanto principi deesse noluit. Quo mirandum minus est si tot vndique districtus negociis quos

eximia eius eruditio polliceri videbatur, ingenij fœtus nullos reliquit, præter inchoatum de rebus Gallicis commentarium, cuius editionem docti omnes & nominis Gallici amantes viri auidissimè desiderant. Fato functus est Kal. Nouembr. anno CIↃ. IↃ. LXXXII. cùm ad annum ætatis septuagesimum quartum firmissima valetudine peruenisset: publicóque omnium luctu apud Andreæ fanum in majorum sepulchro conditus est, instaurante funus vxore Iacoba Tulea splendido etiam genere orta: ex cuius fortunato connubio genuit filios tres, atque in ijs Augustum nunc quoque Senatus Præsidem virtutum pariter omnium & scientiarum Antistitem, filias autem duas, quæ generos ei dederunt suprema illa duo togæ ornamenta Philippum Huraltum Cheuernij Comitem & Achillem Harlæum, quorum alter summam iuris Gallici præfecturam, alter Senatus principatum à soceri morte relictum obtinet.

Vidus Faber Pibracius.

EX gente Fabrorum Tholosæ clarissima natus est patre Senatus Præside Vidus Faber, hominum politiorum decus, qui post aliquot honores in Republica obitos tunc potissimùm se extulit, cum in Concilio Tridentino Caroli Regis Orator omnem Christianum orbem eloquentiæ suæ fama impleuit. Eiusq; deinde commendatione & fisci patronum in summa Lutetiæ curia perexcellenter egit & Henrico Regis fratri in Sarmatiam ad insignia regni capessenda proficiscenti comes ascitus singulare per totam illam peregrinationem fidei, grauitatis & constantiæ documentum dedit. Non sine aperto vitæ discrimine: cùm Poloni Carolo mortuo clandestinũ Regis discessum indignè ferẽtes in comitatum omnem qui à præcipiti eius abitione relictus fuerat impotentissimè sæuirent, Vidúsq; ab illis deprehensus in summa rerum desperatione versaretur, nisi quam toties alijs præstiterat facundiæ operam in sui ipsius vsum & salutem opportunè impendisset.

disset. Huius præsenti ope liberatus cum in Galliam se recepisset, non longo post interuallo indictis à Polonico Senatu comitijs in Poloniam remeare iussus est, vt Regis nomine illis interesset, ipsiusque auctoritatem & nominis Gallici dignitatem pro sua prudentia tueretur. Sed potentiorum discordijs & solita gentis illius vecordia res eò peruenit, vt & Henrico imperium abrogaretur & comitia de noui Regis electione indicerentur. Ille quòd rei tam indignæ spectator esse nollet relicta Polonia confestim in Galliam reuersus est, eo tempore cùm res Gallicæ longis bellorum offensionibus afflictæ salutari eius opera plurimùm indigerent. Regi enim qui potissimùm in eius consilijs acquiescebat pacis inter suos cõstituendæ pręcipuus auctor atq; administer fuit. Quod pius ille princeps & publicæ salutis amãtissimus in summo meriti loco posuisse visus est, quando & eum in eâdem illa suprema curia Præsidem appellauit & à Francisco fratre Cancellarij munere honestatum lubentissimè approbauit. Sed nõ longùm his frui fata concessere. Vidus enim post aliquot annos, & quidẽ paucis ante ipsius Francisci obitum diebus, ex diuturni morbi tædio sub annum ętatis quinquagesimũ sextũ è vita sublatus est. Extant eius cultissimæ ali-

quot orationes in Senatu habitæ, aureáque de moribus poëmatia, quæ inter tot negotiorum fluctus admiranda ingenij tranquillitate concinebat. Vir ad omnia natus & profecto dignus qui ampliore à nobis elogio diceretur, nisi eius vitam à Carolo Pascalio disertissimo viro fusissimè scriptam docti omnes haberent in manibus.

Paulus Foxius.

NON dissimili fatorum iniuria idem annus, qui Pibracium abstulerat, Paulum quoq; Foxium vt patria, sic ætate, & studiis ferè omnibus Pibracio coniunctum mœrenti Galliæ ademit. Is patrem habuerat Ioannem Carmanij Comitem ex vetustissima clarissimaq; Foxiorum stirpe, quæ à multis annis regias omnes totius Europæ familias affinitate sibi iunxit. Atque hæc generis nobilitas bonarum artium lumine, longoq; rerum vsu illustrata viam illi ad Regum amicitias patefecit, à quibus amplissimas togæ dignitates ac Tholosanũ insuper Archiepiscopatum adeptus est. Dúmque post multas le-

gationes in Anglia, Scotia, Italia de grauissimis rebus obitas Henrici III apud Gregorium XIII Orator præclarum illud munus Romę quoque sustinet, iniqua Mors & planè intempestiua debitum illi sacræ purpuræ honorem inuidit.

Laurentius Jobertus.

LAurentius Iobertus Valentiæ Cauarum splendida natus familia postquàm & apud Parisios ex Siluij auditorio & inde trans Alpes ex Argenterij vsu & consuetudine Medicinæ arcana percepisset, in gymnasio Monspeliensi professus primùm inclaruit, collectámque his artibus famam frequenti lucubrationũ prouentu latius propagauit: non vana eruditi ingenij, solertísq; iudicij ostentatione, dum præter varias quæstiones ex veterum placitis doctissimè agitatas Paradoxa quoque plurima, resque à vulgari philosophorum sentẽtia remotas argutè subtilitérque proponit & asserit. Futurus tamen cautior, si contentus ijs, quę in vsum eruditorum sermone Latino componebat, à scri-

ptionibus Gallicis abſtinere maluiſſet. Naturam enim pro conceſſa Medicis facultate liberiùs euoluens temerè ſe in plebis imperitæ cenſuram atque riſum obiecit. Eum in aula vidimus à Rege Henrico III euocatum, cùm pius ille Princeps prolis in publicam vtilitatem ſuſcipiendæ cupidus maximam voti ſui ſpem in eius induſtria nequidquam collocaſſet: non ſuo, ſed fatorum vitio, quæ Galliæ tranquillitatem auertebant. Paucíſque menſibus interiectis eodem ferè fato quo Rondeletius, cui mortuo in Academiæ præfecturam ſucceſſerat, nec minori ſtudioſorum deſiderio, Tholoſa quoque Monſpeſſulum rediens interceptus eſt.

Marcus Antonius Muretus.

QVIS NON miretur hominem Gallum & quidem in Lemouicibus natum, ſuo ipſius ingenio & abſque vlla præceptoris opera eruditum tantos in literis feciſſe progreſſus, vt præter exactam Græcæ linguæ ſcientiam ipſis etiam Italis peculiarem illam Latini ſermonis laudem vnus eriperet?

Neque verò id Muretus in oratione ſoluta ſolùm, ſed in verſibus etiam aſſecutus eſt, in quibus tam erat Catullo ſimilis quam ipſe Catullus ſibi. Accedebat ad excellens & diuinum illud ingenium incredibilis morum candor & vrbanitas, quæ mirifica ſuauitate hominum animos alliciebat atq; attrahebat. Sed neſcio quo malo fato ipſa ſibi Gallia tantum virum inuidit. Quem errantem & profugum Venetiæ primum exceperunt, vbi honeſto in otio variarum lectionum libros meditatus eſt. Deinde Roma ipſa ciuitate donatum & inter Hippolyti Ateſtini Cardinalis liberaliſſimi familiares receptum ſibi cupidiſſimè vendicauit. Quo in celeberrimo totius Europæ theatro grauibus de rebus identidem orantem magna meritò nominis claritas eſt conſecuta. Dumque ab omnibus nationibus & principibus exteris certatim inuitatur, paríque ſtudio & contentione, auctis quotidie ſtipendijs, à ſummo Pontifice retinetur, vix quinquaginta ſeptem natus annos felix & ſolida literarum gloria fruens anno ſupra ſeſquimilleſimum octogeſimo quinto fatis conceſſit.

Petrus Ronſardus

PETRO RONSARDO è Pannonia oriundo, apud Vindocinos equeſtri familia nato, ab Aurati diſciplina Græcè Latinéque doctiſſimo, patrij ſermonis inſtauratori, Poëtarum ab omnibus ſeculis ſecundum Maronem facilè principi, hoc Epicediũ pro Elogio dicauimus.

HAS tibi Pariſiis ſacras in collibus aras,
Magne parens grata ponimus ecce manu.
Tu patrij Deus eloquij, quo numine quondam
Pierias Francum protulit vber opes.
Ergo velut Cereri & Baccho ſua ſacra quotannis
Vouerat & feſtos gens operata dies.
Sic tibi quotquot erunt Galli, tua turba, poetæ,
Annua ſolenni carmine vota canent.
Iámque tibi primos ecce inſtauramus honores,
Et vitæ aggredimur dicere facta tuæ.
Vt claræ antiqua deductus origine gentis
Threïcio dederis tempora prima Deo.
Vt mox & laudis meliore incenſus amore
Malueris Muſas Graia per antra ſequi.
Nullus erat tua qui regeret veſtigia callis
Saxa per & nullo culmina trita pede.
Tu tamen & ſalebras & ſentibus aſpera vincis
Omnia, nec cœcum te remoratur iter.

Donec Hyanteo teneras à fonte sorores
Deducas patrios victor ad vsque lacus.
Inde vbi per medias Nymphis comitantibus vrbes
Conspicuum insigni tollis honore caput.
Protinus vt roseo surgit cum Lucifer ortu,
Cum tenebris fugiunt astra minora suis.
Sic rudis incultos aluit quos Gallia vates
Fugére ad vultus lumina prima tui.
Nunc igitur laudésque hominum laudésque Deorum
Concinis, aut blandus quæ tibi dictat Amor.
Nunc ortus rerum varios, verique latebras
Quæris, & audaci tendis in astra via.
Martia nunc resonas Heroo prælia versu
Francósque à Phrygio Principe ducis auos.
Néue tibi veteres contendant laude poetæ
Quotquot habet Latium, Græcia quotquot habet,
Nil intentatum mens indefessa reliquit,
Siue placent citharæ munera, siue tubæ.
Felices Ligeris ripæ, felicia Cosmi
Fana tui, vberibus Turóque diues agris,
Et quæcunque tuo demulsæ carmine gentes
Hausere ætherios vatis ab ore fauos.
Te nemorum coluere Deæ, te sæpe canentem
Mænaliis Faunus visit ab vsque iugis.
Te stupuit Natura parens: nec te tua cepit
Gallia, quæ tanti ciuis honore tumet.
Sed norunt latè populi quósque vltima Thule,
Quósque alit Hesperio terra propinqua freto,
Quique bibunt Istri gelidum septemplicis amnem,
Quique Euphrate habitant & loca cincta Tigri.
Salue cura Deum, salue ipsis addite Diuis,
Vindocini æternum sidus honósque soli.

Non tibi quærenda est alieno fama labore,
Digna nec ingenio laus satis vlla tuo est.
Tu tamen hæc cape vota lubens, seu lactea mundi
Te plaga, seu magni te tenet aula Iouis.
Et si quis tibi restat amor, si cura tuorum,
Nec te operis memorem iam piget esse tui,
Respice nos, animísque fauens illabere nostris,
Tractamus patriæ dum noua plectra lyræ.

Fuit Ronsardus excelsa statura, decoro vultu, corpore vegeto quidem robustóque, sed sub ingrauescentem ætatem ex præteritis vigilijs, fracto ac debilitato, neque sexagesimũ ætatis annum excessit, articulari morbo sæuissimè vexatus, cuius diuturnis molestiis anno tandem huius seculi supra octogesimum quinto ereptus est, atq; in Turonum suburbio ad Cosmi fanum, cui præerat, sepultus.

Ludouicus Duretus.

CVM multòs in medicæ artis professione præstantes viros hactenus tulerit Gallia, quos cum Ludouico Dureto conferret paucissimos habuit, quem illi anteponeret procul dubio neminem. Vt qui locos Hippo-

Hippocratis ferè omnes memoria teneret, prælectionéſq; ſuas incomparabili ſermonis puritate ac ſuauitate cõdiret: cùm de ſuperiore loco diſputantem neq; honeſti vultus decor, neque vocis & motus elegantia deficerent. Is in vltima Burgundia natus Lutetiam admodum puer ad literarum ſtudia capeſſenda miſſus eſt. Qua in vrbe totius orbis florentiſſima ſedem nactus ingenio ſuo dignam quicquid vitæ fuit in perpetuo ſolidæ laudis curſu peregit: ſolidioris tamẽ futuræ, ſi quod ſumma eius eruditio poſtulabat, partã aſſidua docendi morbóſque profligandi opera exiſtimationem pari ſcribendi ſtudio cumulaſſet. Hac enim in parte vir alioqui perfectiſſimus quodammodo ſuæ gloriæ defuiſſe iudicatur. Eo quidem minore damno, quod hanc nominis per literarum monumenta propagandi negligentiam numeroſa præſtantiſſimæ ſobolis prouentu rependiſſe viſus eſt. Vno etiam ex filijs paterni muneris ſucceſſore, cuius functionem ab ipſa adoleſcentia ingreſſus admirabile ſtatim eruditi ingenij argumentum præbuit, & patris in Coacas Hippocratis prænotiones opus inchoatum non abſoluit modo, verumetiam vtilitatis publicæ cupidus in lucem emiſit. Obijt verò ſummus ille vir ſub annum ſalutis CIↃ.IↃ.XXCVI,

ætatis LIX, morte nondum ſatis matura, ſed placida, & (quòd imprimis tanto Medico dignum erat) omnino præuiſa. Cuius aduentu multa de numinis benignitate præfatus, vxore liberíſque ſalutatis, tanquam in blandiſſimum ſoporem incidiſſet, expirauit.

Rupeæ Pictauienſes.

SVBIT illius temporis iucundiſſima recordatio, cùm Rupeam matrem doctiſſimam ſanè fœminam de omnibus diſciplinis mira quadam facilitate & copia differentem filia non indoctior excipiebat. Quæ matris & ſua ipſius lepidiſſima carmina tanta venuſtate recitabat, vt omnium qui aderant animos in admirationem cõuerteret. Aderant autem quotidie plurimi literarum & elegantiæ amantes viri, qui ad illarũ ædes tanquam ad aliquam academiam cupidiſſimè confluebant: nec vllus erat qui non inde rediret politior. In matre apparebant eximiæ pulchritudinis veſtigia, in filia flos ipſe integerrimus & nitidiſſimus elucebat, morum in

vtráque tam incredibilis consensus, tantáque hinc inde mutui amoris inerat conspiratio, vt ne ab ipsa quidem Morte disiungi vnquam se passuras palam profiterentur. Hinc factum est vt quamuis innumerabiles proci filiam impotentissimè ambierint, nunquam tamen à sinu matris auelli sustinuerit. Donec anno supra millesimum & quingentesimum octogesimo septimo, grassante apud Augustoritũ peste, acerba Mors vtramque simul aggressa vno eodémque die geminum illiud ciuitatis lumen extinxit. Quo minus mirum esse debet si dum vixere hominum animos atque voluntates permouere potuerunt, cum ipsa etiam Mors honestissimis earum desideriis parere non recusarit.

Jacobus Mangotius.

POSTVLAT hoc duplex affinitatis patrięq; vinculum, vt Iacobus quoq; Mangotius huius æui flos illibatus meritum à nobis Elogium ferat. Licet enim Lutetiæ primùm lucem hauserit, Iulioduno tamen oriundum fuisse nostri populares non imme-

ritò gloriantur. Huius quidem pater Claudius vir egregius parique votorum religione Themidis Phœbique sacris initiatus, ne in tenebris atque otio delitesceret, in forum Parisiense relicto Iuliodunensi agro se contulit, vbi ad exactam ætatem & fama & fortunis auctus felicissimè consenuit. Hoc vno maximè beatus quod talem ex se filium edidit, cui si vitæ vsura contigisset longior vix vllum aut certè paucos tota Gallia pares fuisset habitura. Quis enim ad solidam Iuris vtriusque prudentiam cætera bonarum artium ornamenta cumulatiùs vnquam attulit? quem aut in dicendo disertiorem, aut in muneribus obeundis castiorem, aut in omni denique vita sanctiorem sumus hactenus admirati? Cúmque facultates abundè suppeterent, quibus pro more nostris vsitato statim ex ephœbis excedens ad summos in Republ. magistratus progrederetur: tamen, quæ fuit eius vel modestia vel prudentia, non prius eò contendere voluit, quàm in priuatorum causis agendis iudicium quòd à Natura solertissimum habebat vsu etiam & exercitatione confirmaret. Ac primò quidem vir factus libellorum supplicum in Prætorio præfecturam adeptus est, cui mox & Regij procuratoris in augusta Rationum curia digni-

tatem adiecit hunc fructum ſanè ampliſſimũ ex ea conſecutus, quòd non modò ex archiuorum tabulis (quæ quoties libitum fuerat ipſi patebant) verumetiam ex virorum virtute ac rerum vſu præſtantium (quibus præclariſſimum illud collegium conſtat) conſuetudine & cõſortio ſolebat eorum quæ ad totius rei Gallicæ ſtatum pertinẽt quotidie peritior euadere. Quod poſtea lectus etiam Regis in Senatu patronus magno ſibi ſenſit eſſe ad grauiſſimi muneris functionem præſidio & ornamento. Sed ſurgentem eius gloriam vlterius fata progredi vetuerunt. Febris enim oborta ſub Autumnum anni CIↃ IↃ XXCVII vix quinque & triginta natum annos eripuit, magnóque patrum mœrore os illud eloquentiſſimum & ſapientiſſimum æterno damnauit ſilentio. Defunctum in Senatu laudauit Iacobus Faïus Speſſæus eius collega virtutúmque non minùs quam muneris & laborum ſocius, quem ſua poſt eruditio & aduerſis temporibus certiſſima in principem fides ad ſupremum tribunal extulere. Cum enim ſit hoc in more poſitum vt primis Curiæ auſpiciis Regius Aduocatus oratione ſua cæteros cauſſarum patronos ad officium hortetur ac ſuſcitet, non alio commodius exemplo ſe id aſſecuturum ſperabat, quàm ſi

talem tantúmque virum illis ad imitandum proponeret.

Elias Vinetus.

IS è Vinetorum pago apud Santones in agro Barbeziensi natus meliorem ætatis partem Burdegalæ in docendo collocauit. Si paucos annos exceperis eidem muneri obeundo in Lusitania quoque impensos, cum ipse (quæ fuit eruditionis fama) vnà cum Buchanano, Gruchio & aliis eiusdẽ notæ viris à Ioanne III Lusitanorum Rege ad instaurandum Conimbricæ gymnasium euocatus fuisset. Vnde Burdegalam reuersus & ipsi demum scholæ præfectus quam ab initio vitæ rationem instituerat ad extremam senectutem retinuit, frequentíque nec infrugifera voluminum editione cumulauit: siue ea æstimes quæ humanitatis præcepta continent, ac potissimum vberrimos in Ausonij poëmata commentarios: siue Mathematica, tum ea quæ ex Euclide transtulit, tum quæ suo ipsius ingenio ad Arithmeticam Geometriámque pertinentia persecutus est. Perijt

octogenarius ſenex prid. Id. Iun. illius anni, quem Cotraſienſe prælium & Germanici exercitus ad Ligerim clades inſignẽ fecere.

Joannes Auratus.

Vid memorem Auratum patrem, pleniſſima cuius
Copia Pierias vndique fundit opes?
Auratũ à quo vno Vatũ, ceu fonte perẽni,
Gallorum Aonia labra rigantur aqua?

Libet enim hic verſus attexere, quibus iampridem à nobis dictus eſt idem ille, cuius nũc Elogium ordimur, Ioannes Auratus vatum in Gallia coryphæus, ex infelici Lemouicum ſolo velut Heſiodus alter è Bœotia natus. Qui vetères poëtas omnes tãta dexteritate iuuentuti explicabat, vt ex eius Muſæo, tanquam ex Helicone quodam, innumeri noſtra ætate vates prodierint. Canebat autem ipſe verſus & Græcos & Latinos, dum per ætatem licuit, omnium ſcitiſſimè: neque ſolùm in Lyricis Horatium æmulabatur, ſed etiam ad Pindari numeros Latinas Odas inuſitata venuſtate effingebat. Quæ res illi maximam apud omnes nationes nominis celebritatem

peperit: eóque majorem, quòd & ſumma eruditione & acerrima coniectura præſtans optimi quoque Critici laudem quotidie mereretur. Sed cùm factus è Doctore Poëta Regius profitendi prouinciam Gulonio genero Græcæ linguæ doctiſſimo tranſcripſiſſet, nec vtique iam ſenior à ſcribendo ſibi temperaret, certè nonnihil de priſtino vigore ac diligentia viſus eſt remiſiſſe. Nullus enim nouus liber in lucem exibat, quin ſibi commendatricem Aurati Muſam pro Mercurio itineris duce & auſpice depoſceret. Nullus in tota Gallia paulò nobilior è viuis excedebat, quin ab Aurati lugubribus Camœnis, tanquam Præficis, ſolennes funeri queſtus & lacrymæ ſufficerentur. Quo fiebat vt in tanta ſimilium argumentorum multitudine beata illa quondam vberioris ingenij vena non areſceret quidem, ſed fundo propior languidius, negligentiúſque flueret, ac ſe traheret. Ad extremum ducta recẽs vxore vndeuiginti annorum puella, cùm intempeſtiuis amoribus licentiam poëticam iocosè prætexeret, octogenarius ſenex emiſit animam, qua tempeſtate Henricus tertius afflictæ Galliæ conſulens publicos regni conuentus apud Blæſios iterum agebat.

Arnoldus Ferrerius.

NVſquam alias illudẽtis Fortunæ præclarius exemplum apparuit, quàm in Arnoldo Ferrerio Tholoſate, Iuriſcõſulto grauiſſimo: qui de legum profeſſore Senator, Inquiſitionúmq; Lutetiæ Præſes, & concilio Tridentino magna cum dignitate interfuit & bis ad Remp. Venetam Orator à principe legatus eſt. Atq; in eiuſmodi peregrinationibus tãtiſper fuit, dum omni re familiari abſumpta ære alieno propè demerſus in Galliam redire cogeretur. Nam ſtipẽdiis fraudatus per totum tempus illud ſuo ferè ſumptu Regi & Reipubl. operam præbuit, neq; porrò quod impenderat præſtitum illi vnquam fuit. Incidit enim in extrema patriæ tempora, cùm ſpecie boni publici & Catholicæ Religionis tuẽdæ bellum toti Galliæ funeſtiſſimum regni quondam opulentiſſimi res affligeret ac penè perderet. Ergo inops & miſerabilis ſenex ad Henricum Borbonium tunc regem Nauarræ confugit, principem omniũ virtutum amantiſſimum, à quo non benignè tantum exceptus, ſed ob excellentis doctrinæ

famam ſacri etiam ſigilli cuſtodia ornatus eſt. Cœperatque facilioris & commodioris vitæ ſpes aliqua tandem affulgere, cùm ampliſſimi muneris adminiſtrationem vix ingreſſus (tanquam ei proſperæ ſortis occaſio tantùm oſtenderetur) nec multò ante quàm ipſi Henrico Gallicum imperium obueniret, in ipſo repente limine concidit. Intempeſtiuè quidem, ſed ſi hominis mẽtem æſtimes, maturè. Nam & ab illo ſene ſapientiſſimo vox audita eſt, cùm ex vrbe Venetorũ decedens honorum ſe ac vitæ ſaturum eſſe profiteretur: vt quorum in ditione primus ad gloriam gradus ei contigiſſet (Patauij enim lauream adoleſcens acceperat) apud eoſdem Regia Legatione peracta ſupremam ſuæ ambitioni metam ſtatueret ac figeret.

Jacobus Cuiacius.

IAcobo Cujacio in vrbe Tectoſagũ genere humili nato pręcelſum ac planè cæleſte ingenium Natura conceſſerat, cuius vnius ope, nec vllis præterea magiſtris adiutus, ſupremum illũ eruditionis gradum

attigit, quo latè conſpicuum & nitentem hac ætate vidimus, dum incredibili nationum omnium concurſu intima iuris & antiquitatis penetralia, quorum aditus penes illum erant, iuuẽtuti aperiret ac reſolueret. Docuit enim pluribus in locis, ac præſertim apud Biturigas, vbi maximo illius vrbis ornamento longiſſimè commoratus eſt. Inuidente nequidquam Tholoſa, ingrata patria, quæ ad exorientem alumni lucem caligans eum poſtulato cathedræ honore turpiſſimè repulerat. Quanti porrò hæc ſtudia faceret ex eo potiſſimùm apparebat, quòd cum raræ & inſolentis doctrinæ merito facultas in auguſto Senatu ſedendi à principe data eſſet, hac dignitatis acceſſione ſanè amplißima lubens abſtinuit, ne à dulci otio auocatus iuuentuti, quam ſemel informandam & à Barbarorum nugis reuocandam ſuſceperat, vllo temporis momento deeſſe videretur. Huic enim vnicè ſtudebat, adeò quidem vt quò magis adoleſcentes ingenuos à nebulonum conſuetudine auerteret, cum illis interdum conuiuari, & ad ludicra deſcendere non grauaretur. Hunc quoque fructum ex ea animi remiſſione colligens, quòd alacrior inde ſe referebat ad ea quæ in poſteritatis vſum quotidie concinnabat in-

genij monumenta. O beatam, si sua nouisset bona, Biturigum vrbem! At illa cùm tam excellens & nobile depositum omni cura diligentiáque asseruare ac tueri deberet, indignissimè ipsa pene proiecit ac perdidit: oborto seditiosorum tumultu, qui dum prestantem illum virum de certa in principem fide suspectum habent, non semel eum interimere conati sunt. Ita vt septuagenarius senex tot malorum pertæsus anno huius seculi nonagesimo placidè, lubenterque ad Superos demigraret. Mortui vitam & mores Papirius Massonus qua solet styli elegantia munditiáque posteritati mandauit. Ex multis autem cœnotaphiis vnum vtpote cultissimum & à clarissimo viro conscriptum hic placuit apponere.

SOlue comas Biturix, & scinde Tolosa capillos,
Impia si potis hic tangere corda dolor.
Magnus obit nostri lumen Cuiacius æui
Ille à quo potuit discere iura Themis.
Mens legum, recti vita æquè cultor vt ore,
Par laude & meritis, Papiniane, tibi.
Atqui debuerat producere longius annos,
Debuerat tantis & superesse malis.
Vt nostrorum animos desueta pace feroces
Ad pacem egregia flecteret artis ope.
Extincta legum sed lucem luce perosus
Vir pius haud vltrà viuere sustinuit.

Vixit, quàm longo viguerunt tempore leges,
Legibus oppressis debuit ille mori.

IAC. CVIACIO V. C. DOCTORI DE SE OPTIME MERITO I. A. TH. M. P.

Barnabas Brissonius.

FAdem Brissonio quę & Andreæ Tiraquello patria fuit Fontenaium in Pictonibus nobilium ingeniorum ferax. Is patre vsus honesto & diuite, illius oppidi Proprætore, hoc assecutus est vt prospero studiorum cursu ad summam & inusitatam multiplicis doctrinæ laudem breui tempore perueniret. Quæ non quidem in otiosis Musarum vmbraculis, sed in publica hominum luce clarissimè omnium emicuit. Vix enim adolescentiam egressus in celeberrimis aduocatorũ subsellíis apud summã Galliæ curiam singulare sui dedit specimen: cùm genere dicendi vteretur copioso quidem illo, neque tamen affectato, sed perspicuo facilíque & in

modum leniſſimi amnis nitidè, puritérque fluente. Quo in munere longius progreſſus tantam ſui nominis famam excitauit vt à ſummo virtutum admiratore principe Henrico tertio primùm fiſci Patronus, indéque ſacri conſiſtorij Aſſeſſor & poſtremo ampliſſimi ordinis Præſes non longo interuallo renũciaretur. Equidem à Rege ipſo audiui cùm diceret nullũ in orbe Chriſtiano principem eſſe qui haberet quem Briſſonio ſuo in literarum gloria opponeret. Itaque & eum in Angliam de maximis rebus legatum miſit & cum ſua maiorúmque edicta conſtitutionéſque in vnum colligere, iuriſque Gallici Codicem ſuo nomine inſcribendum componere meditaretur, vnum maximè inter togatos idoneum iudicauit, cui grauem iſtum laborem committeret: quem tamen is intra paucos mẽſes admirabili celeritate perfecit. Scripſit præterea de verborum quæ ad ius pertinent ſignificatione ingens & eruditum opus, itemque de formulis & ſolennibus populi Romani verbis alterum, ac opuſcula plurima quorum partem edidit, partem indigna morte præuẽtus imperfectam reliquit. Cum enim æſtuante nouis tumultibus Gallia vrbs ipſa Pariſiorum à Rege defeciſſet, nec facinoroſi ex infima plebis fæce homines, quorũ

in illa rerum perturbatione præcipua erat auctoritas, possent adduci vt crederent tantum virum, iuris & legum antistitem grauissimum tam iniustę causę verè & ex animo fauere, illũ furiali quodam ausu abreptum & multa nequidquam deprecantem ipso in carcere, indicta causa, crudelissimè oppressere. Quod immane scelus & à multis seculis inauditum ne ipsi quidem factionis principes inultum reliquere.

Jacobus Amiotus.

Vid poterat Amioto Meloduni ad Sequanam ex tenui familia edito maius aut fortunatius contingere, quàm è tot tantísque viris, quibus eruditum seculum affluebat, vnum ascisci, qui Regios liberos, totius Europæ nobilissimos pueros, & ipsi iam tum Imperio destinatos edoceret? Cũ enim ingrati animi vitium in generosas illas & excelsas mentes cadere non posset, nunquam postea tanti officij non memores extitere. Quin vt quisque suo tempore ad Regium solium euectus est, præceptorem benemeritum & humanissimè semper excepit, & am-

pliſſimis ſacerdotiis ornauit atq;locupletauit. Qui viciſſim ne ingratus haberetur,in hoc totus incubuit vt ſcriptis ſuis,ac præſertim Plutarcho in ſermonem Gallicum ſplẽdidiſſimè trãſlato,vernaculam Principum ſuorum linguam,quæ nõ poſtremum Imperij decus meritò cenſetur,ad ſupremum puritatis & facundiæ faſtigium perduceret: nõ minori fortaſſe gloria,quàm ſi vltimos ipſius Imperij fines virtute bellica propagaſſet. Vixit ad exactam ſenectutem alumnis ſuis præpoſtero fatorum ordine ſuperſtes,triennioque poſt Henricum tertium deteſtabili parricidarum coitione ſublatum è viuis exceſſit. Hoc tantum infelix, quod,ſponte an caſu incertum,inter factionis illius participes diu verſatus nõ ſine aliqua immemoris animi ſuſpicione moreretur:etiamſi,vt ego quidem arbitror,iniuria: mihi enim relligio eſt de tanto viro quidquam temerè ſuſpicari.

Franciſcus Foxius Candalla.

Vlcrum tibi fuit, Candalla Heros excellentiſſime, ex illa gente oriri qua vix vllam nobiliorem aut antiquiorem ſibi arrogare quiſ-

quiſquam audeat. Pulcrius autem & longè me Hercule pulcrius indefeſſo quodam mẽtis vigore eò vſque in literis proceſſiſſe, vt nemo fuerit qui ſummum in illis ætate tua principatum (præcipuè in Mathematicis & recondita philoſophiâ) tibi non meritò conceſſerit. Huius rei teſtis erit apud poſteros optimus Triſmegiſtus ille non tibi ſolúm Latinè Gallicéque redditus, ſed etiam illis commentariis illuſtratus, qui auctoris obſcuriſſimi ſenſa quamlibet abſtruſa legentibus aperiant & ob oculos conſtituant. Teſtis Euclides, multáque præterea cæleſtis ingenij tui argumenta, & ſalutare imprimis illud Elixir (ſic enim Antidotum admirabili ſolertia tibi repertum ipſe appellas) cuius compoſitionem & vſum ne poſteritas nimio ſumptu deterrita negligeret aut amitteret, annuam in id pecuniam de tuo legare non piguit. Quid quod & pari liberalitate publicam Matheſeos profeſſionem honeſtáque profeſſori ſtipendia Burdegale paucis ante mẽſibus quàm de vita decederes inſtituiſti? Iure igitur tanto alumno ſuperba lætatur Gallia hoc abundè per te conſecuta, vt Italiæ ſuos Mirandulas inuidere iam deſinat. Quos cùm virtutibus omnibus anteires, aut certè æquares, fatorum etiam indulgentia ſuperaſti. Nonagenarius

enim eras cùm eodem illo menſe, quo Chriſtianiſs. Henricus quartus cœleſti oleo apud Carnutes inungitur, humano carcere liberatus ad cœlum euolaſti.

Claudius Puteanus.

AT Claudium Puteanum, quo homine nihil doctius, probius, aut candidius ætas noſtra tulit, commendatione ſua fraudare quis ferat? Licet enim, qua erat animi modeſtia, ſcriptis inclareſcere nunquã ambierit: ex ea tamen qua inſigniter vigebat linguarũ & antiquitatis cognitione conjicere facile eſt non vires illi ſed voluntatem defuiſſe: præſertim cum in aliorum operibus cenſendis nullus Criticorum eſſet exactior aut acutior. Sed illa perfecti iudicij vis in eo potiſſimum elucebat cum ad ſeria conuerſus in dirimendis hominum controuerſiis præclariſſimo Senatoris munere fungebatur. Hoc enim illi optabile contigit vt Lutetiæ (quæ natalis fuit) inter purpuratos patres merito ſuo cõſpiceretur. Majora etiam adeptus ſi per inualetudiuem licuiſſet, quæ à ſtu-

diorum vigiliis contracta & miſerabili rerum Gallicarum ſtatu (quo vir patriæ amantiſſimus grauiſſimè commouebatur) identidem aucta ſingulare illud hominum politiorum decus nobis ante tempus eripuit. Annum enim vitæ agens quadrageſimum ſextum ex atrociſſimis calculorum doloribus, quibus tenue corpuſculum intus pene totum ſcatebat, proximo poſt vrbem Regi reſtitutam anno extinctus eſt.

Lud. Caſtaneus Rupipoſæus.

RVpipoſæorum in Gallia nomen illuſtre ſemper fuit, vel eo maximè quod cum ſanguinis vetuſtate non belli modo gloriam, ſed & vitæ morumque caſtitatem conſtantiſſimè adæquarint. Atque hoc peculiare ſuæ gentis decus Ludouicus hic noſter præclariſſimè ſuſtinuit, vel potius ingenti laudis acceſſione cumulauit: poſtquam auctore Ioſepho Scaligero nobiliſſimo viro & ſui ſeculi doctiſſimo ad illam Naturæ bonitatem literarum & ſapientiæ lumen adiunxiſſet.

Quo factum est vt foris domíque præstans his difficillimis Galliæ temporibus optimi ac fortissimi ciuis famam meritò sit consecutus. Primùm enim Romam à Christianissimo Rege Henrico tertio missus Orator nominis Gallici decus atque dignitatem aduersus Hispanas fraudes & insitã illi nationi superbiam in ipsius Pontificis conspectu gnauissimè turatus est. Inde redux in Patriam & in sanctius Regis consilium assumptus, cùm fidei constantiæ & propensi erga Rempublicam animi quotidie documẽtum aliquod ederet, ingrauescente motu ciuili vtriusque Marchiæ præfecturam à Rege successore obtinuit, adeò secundis auibus, vt intra exiguum tempus perduelles omnes & coniuratos tota illa prouincia expelleret, demúmque numerosam illorũ manum duce Villoquerio Guerciæ Vicecomite contractam in Pictonibus ad Vigennam insigni prælio deleret, plurimis eorum cæsis aut in propinquum fluuiũ demersis: in quibus ductor ipse repertus tanti triũphi gloriam suo casu non mediocriter illustrauit. Postremò dũ è castris (in quibus Regi ipsi res in vlteriore Burgundia tum gerenti multos menses operam strenuè præstiterat) per Boios iter facit, Molinij febre ardentissima correptus intra paucos dies absumptus est. Non indigno vi-

tæ exitu, ne vir vtilitati publicæ natus priuatim in ſuis ædibus vitam finiret. Cuius ad innumeras virtutes cum vnica laudatio non ſufficeret, nihil abs re me facturum putaui ſi pedeſtri elogio poëticum ſubiiceretur quo ſiluarum noſtrarum alteram partem eius aliquando nomini clariſſimo conſecrauimus.

QVæ tamen ignauos iam mollis inertia Celtas
Detinet, aut ſpatiis timor improbus vrget iniquis,
Vt ſeſe addicant ſtudio vix ſegniter vni
Degeneres? placidas auidè colit ille Camœnas,
Doctus, ſeu magnum nuneris æquare Maronem,
Siue hominum mentes facundis flectere dictis,
Aut rerum cauſſas, aut abdita promere iura.
At ſit opus valido patriam defendere ferro,
Auget femineas imbelli voce querellas,
Et penitus trepidæ fit ciuis inutilis vrbi.
Alter Marte potens, primis quem crudus ab annis
Ebibit, ingenuas animo non concipit artes.
Strenuus ille quidem, & ſumptis longè optimas armis,
At ſi ſuccedat rigido pax aurea bello,
Negligit inculto ciuilia pectore iura
Barbarus, horribili patriam miſcetque tumultu.
Hinc adeò externas armis neque pellere gentes,
Nec ſatis inter nos pacem licet vſque tueri.
At quos culta dedit ſeclis melioribus Hellas
Bellatrix aut Roma viros, vtrumque ſubibant
Æquè onus, & ſocio gaudebat Apolline Mauors.
Non igitur mirum eſt, ſi tot tantaſque per orbem
Illa vel illa tulit gemino ſtans numine palmas.
Nos malè vicino vix tuta tuemur ab hoſte

Oppida, & vnius captis in mœnibus vrbis
Quærimus ingentes titulos, finémque laborum,
Quem dare victori prouincia victa solebat.
Vsque adeò fractum virtus diuisa vigorem
Sentit, & egregiis nequaquam sufficit ausis.
Vnus es, ô patriæ rarissima gloria terræ,
Quem non degeneris lædant contagia secli,
Quique trucem dulci Musa moderere Gradiuum.
Atque equidem sic te nasci voluere sorores,
Ius quibus humanæ deducere stamina vitæ,
Perpetuò regni afflictis vt rebus adesses.
Seu magnum affari Tarpeia in rupe parentem
Esset opus, blandisque ad pacem inducere verbis,
Dum te magnanimo Legatum à Rege tot annos
Roma videt, meritúmque abeunti reddit honorem.
Seu toties bacchante odii ciuilis Erynni
Regis amor patriæque salus ad bella vocarent
Impauidum, & populis imponere frena iuberent.
Nec si fortè pares felix tibi Gallia multos
Ferre queat, paribus non speret & illa triumphis
Debellare suo longinquas tempore gentes.
Macte animi, macte ingenii, Ludouice, Deûmque
Non tibi concessas tot amico numine dotes
Nequidquam esse puta, tanquam sine nomine vulgo.
Non omnis moriere, tui pars optima letum
Nesciet, & longa viuet per secula fama.
Iam tua sidereo tollit se gloria cælo,
Iam tibi gratantes toto ex Helicone Camœnæ
Certatim sua dona ferunt, præque omnibus vnum
(Si quid id est, tenuémque haud aspernabere vatem)
Cœpti operis meritò te prima in fronte locamus
Insignem, & nostræ resonant tua nomina syluæ.

Henricus Memmius.

HEnricus Memmius Ioannis Iacobi viri inter togatos ornatissimi filius paternis vestigijs insistens, sed meliore vsus seculo ingeniũ, quod à Natura fœcundissimum acceperat, per bonas omnes disciplinas liberaliter excoluit. Neque minori felicitate per omnes honorum gradus in Republica progressus ad sacrum Regis consistoriũ peruenit, Michaëli Hospitalio eius ordinis principi, quanquam dispari ætate, adeò gratus & fidelis comes, vt quoties grauissimus ille senex valetudine vteretur minus prospera nullum ferè lubentius quàm Memmium in laboris partem vocaret. Quanti autem & ipsi Reges eum fecerint ostendit illa celebris ad Borbonios principes legatio, cui vna cum Birone sub finem tertij belli ciuilis à Carolo Nono præfectus est, eo euentu vt exacerbatos ex dissidij toties repetiti assuetudine Gallorum animos ad pacis amorem facundia sua reuocaret, cùm superiorem in dicendi lepore haberet neminem. Cuius nomine apud Regem successorem, vtpote principem eloquentissimũ, maxi-

ma eius gratia fuit. Donec inuidorum calumnijs ab illo distractus excessit ab aula, vt cum amicis & libris, quorum magnam & exquisitam copiam habebat, placidam senectutem exigeret. Sed hanc illi tranquillitatis occasionem ademerunt quæ mox insecuta sunt Ibericæ factionis acerbissima tempora. Quorum tædio vir nominis Gallici studiosissimus paulatim contabuit. Multa interim cõquerens de fatorum iniquitate, postquam duos æquales suos & studiorum & munerum societate sibi coniunctissimos, Vidũ Fabrum Paulúmque Foxium vno eodémque anno vidisset opportunè tot ærumnis eripi, nec se tertium illis adiungi. Atque in eo mœrore anno tandem huius seculi supra nonagesimũ sexto circiter annum ætatis sexagesimum tertium piam egit animam. Coluerunt eum docti omnes ab eo vicissim vnicè dilecti & omni officiorum genere affecti. Atque ante alios Ioannes Passeratius eloquentiæ professor Regius, qui per quinque & viginti annos apud eum amicissimè vixit, mortuumq; & à filio patriæ auitæque laudis æmulatore tumulatum immortali Musarum monumento consecrauit.

Joannes

Joannes Bodinus.

IOannis quoque Bodini Andegauensis feliciſſimum ingenium fuit. Qui cùm ab adoleſcentia bonis omnibus literis egregiè imbutus eſſet, imprimíſque gentium omnium hiſtoriam abſolutiſſimè calleret, illius legendæ methodum libello breui quidem illo ſed ſanè luculentiſſimo complexus eſt. Fuit hoc illi famæ ſurgentis auſpicium, quam editis de Republica ſex libris varia multiplicíque eruditione & ſtupenda exemplorum varietate refertis abũdè poſtea confirmauit atque auxit. Neque verò quam ſcriptis comparauerat exiſtimationem præſentia ſua minuebat, ſi quando in familiari hominum congreſſu de quacunque re propoſita diſertè copioſeque diſputaret. Quo magis mirandum eſt hominem ea facultate præditum inter nobiliores curiæ Pariſienſis aduocatos locum obtinere non potuiſſe: præſertim cùm æquales haberet Briſſonios, Paſcaſios, Pithœos, & alios complures ingenij laude præſtantes viros, qui amœnioribus etiã diſciplinis incumberent, nec eò minus cele-

briter in fori luce verſarentur. Hac enim reſiue neglecta, ſiue infeliciter tentata reliquit Lutetiam, adhæſitque ſereniſſimo Andium Duci Regis fratri: quem in Britanniam ſecutus cùm illic è ſuggeſtu publico ſua ſcripta inuenibus enarrari comperiſſet, ex hoc inuſitatæ gloriolæ prouentu non mediocrem vigiliarum ſuarum fructum ſibi viſus eſt collegiſſe. Trajecit inde ad Belgas in eiuſdem principis comitatu, quo mox intempeſtiuè ſublato, Laoduni Veromanduorum, vbi magiſtratum habebat, inclinante iam ætate acquieuit, alteróque demum poſt vrbem illam à Rege obſeſſam & expugnatam anno ſupremum vitæ ſuæ diem exegit.

Q. Sept. Florens Chriſtianus.

I quem hoc ſeculo Muſę Græcę Latinæq; pari vtrinque fauore amplexæ ſunt, certè is fuit Florens Chriſtianus Aurelienſis, à cuius erudito filio multa propediem expectamus huius ſtudij ab illo relicta & in perpetuum victura monumenta. Nam ipſe dum viueret nihil ferè in vulgus

emiſit, præter aliquot Græcorum Tragedias Comœdiaſq; Latinè conuerſas & varia poëmatia, quæ ab amicis rogatus, vt ſeſe aliqua inſignis offerebat occaſio, libentiſſimè ſcriptitabat. In his autem erat munditiarũ ſimul & argutiarum plenus, maximè ſi quando liberiores aculeos in aliquem emitteret. Ad quod ſcribendi genus non quidem maledicendi ſtudio, ſed libertate quadam poëtica procliuior eſſe videbatur. Adeò vt adoleſcentiæ annos nondum egreſſus Ronſardum ipſum iam tum inſigni laude florentem mordaci & amarulento poëmate laceſſeret. Quã ætatis intemperantiam ſummus ille vir, qua erat animi magnitudine, non modo contempſit, verumetiam doctiſſimi adoleſcentis ingeniũ exoſculatus in amicitiam illum auidiſſimè recepit. Vidum autem Fabrum pari libertate offenſum vt ſibi aliqua propenſioris animi ſignificatione conciliaret, Tetraſticha de moribus ab illo grauiſſimo viro Gallicè conſcripta Græcè Latineq; trãſtulit aureo ac planè antiquo ſtylo & in eius gratiam publicauit. Sed neq; vir in literarum otio molliter educatus publicam interea hominum lucem refugit. Vt qui apud Vindocinos, vbi fortunarum ſedem poſuerat, illuſtriſſimæ Ducum familiæ à cõſiliis fuerit & (quod imprimis illi

honorificum) Christianissimo Regi Henrico tunc Nauarræ principi aliquot annos in literis humanioribus operam prębuerit. Cuius meriti gratia factũ est vt rebelli vrbe à Regiis expugnata, cùm Christianus, quem cæca illa tempestas cùm reliquis ciuibus abripuerat, inter captiuos repertus esset, non modò pius Princeps illi parceret, sed etiam militibus qui captiuum detinebant redemptionis quantitatem sua ipsius pecunia lui iuberet. Periit sex & quinquaginta natus annos ex rapida febre sub exitum anni supra mille & quingentos nonagesimi sexti.

AFFECTO iam hoc opusculo, cùm essem Rothomagi, quò me principis iussu contuleram, vt cõuentui quem de regni sui rebus agebat interessem, redditæ mihi fuerunt à Iacobo Giloto Senatore omnib⁹ disciplinis & virtutibus ornatissimo literæ, quibus de Petri Pithœi viri præstantissimi & vtriusq; nostrûm amantissimi obitu mihi significabat. Ex cuius nuncij acerbitate incredibile dictu est quantum animo ceperim dolorem. Angebar enim tali amico orbatus, à cuius gratis-

ſimo congreſſu ſolebam quotidie redire melior & eruditior. Angebar & Reipubl. literariæ nomine, quæ poſt Puteanos, Memmios, Florentes, Bodinos vno ferè momento ſublatos, hunc quoque ciuem vltimis ſuis temporibus amiſit, cui parem aut certè ſuperiorem in omni ſtudiorum genere agnoſcebat neminem. Neque ignorabam hoc à me expectari, vt qui Gallorũ eruditione celebrium hiſtoriam explicare ingreſſus eſſem, talem imprimis tantúmque virum ingrato ſilentio non præterirem. At profectò dandum aliquid fuit mœroris & luctus impotentiæ. Cui dum à temporis longinquitate nonnullum nobis remedium pollicemur, hanc interea priorem Elogiorum partem tibi, Lector, offerimus, cæteros eiuſdem meriti viros, qui omiſſi videbuntur, libro ſecundo reſeruaturi. Omnes enim ordine ſuo perſequi animus eſt, niſi obſtet fatorum inuidia: quæ me tamen quodammodo ſecurum eſſe iubet, dum à vilioribus abſtinens indigna tot excellentium virorum funera cumulare non deſinit. Auguſtoriti Pictonum anno CIↃ. IↃ. IIC.

FINIS LIBRI I.

10050603

SÇAEVOLAE SAMARTHANI ELOGIORVM liber ſecundus.

Philippus Cominius.

HILIPPVS COMINIVS Belga ſplendido genere ortus cùm attigiſſet eam ætatem quæ labori militiæ ſufferendo par eſſe videretur, in aulam Philippi Burgundiæ Ducis ad Carolum eius filium ſe contulit, eo ferè tempore, quo Galliæ coniurati proceres, Boni publici obtẽtu, Ludouico XI. Regi graue periculoſumq; bellum intulere. Cui bello & ipſe ſub ſignis Burgũdicis armatus interfuit, & Carolo dehinc à Philippi

morte rerum potito peregregiam in multis magni momenti negotiis domi foriſq; operam pręſtitit. Quam hominis induſtriam ſubodoratus Ludouicus (vt erat virorum hac virtute præſtantium diligentiſſimus & ſagaciſſimus indagator) non prius conquieuit quàm eum quibusvis conditionibus pellectũ ad ſuas partes attraheret, ſibiq; totum aſſeret. Factus itaque Cominius Galliæ nouus ciuis, ductaq; vxore Monſorella nobili apud Andes loco nata, Ludouico deinceps & Carolo eius filio perpetuus & fidelis adhæſit comes, eorumq; res bello geſtas, quarum & particeps fuerat, Angeli Cathi Pontificis Viennenſis hortatu & impulſu deſcribere aggreſſus, luculentam quatuor & triginta annorum hiſtoriam, magna quidem ſtili ſimplicitate, ſed nec minori puritate, & quod in rerum ſcriptore ſummum eſt, ſingulari apud omnes fidei ac veritatis opinione inſignem poſteritati transmiſit: adeò quidem fauſtis initiis, vt vix vllum hactenus Gallia tulerit in eo genere nobiliorem. Quo mihi verendum minus eſt, ne quis miretur aut improbet, quòd Belgam de re Francica tam benemeritum his Elogiis interſerere, noſtrorumq; hominum numero adſcribere in animum induxerim.

duxerim. Celſiore fuit ſtaturâ, vegetis membris, magnáque totius oris & vultus dignitate conſpicuus: nec eloquentia, prudentia, cæterísque virtutibus ad ſummas res tractandas idoneis vlli hominum ætate ſua conceſſit. Eò maiore omnium admiratione, quòd vix vllo literarum præſidio fretus ſola præſtantis naturæ bonitate niteretur. Non tamen interea tutum ſe aut immunem vir tantus à ſæuo inſtabilis Fortunæ ioco vindicare potuit, cùm ab occulta maleuolorum conſpiratione apud Regem in leuitatis & perfidie crimen adductus duram & iniquam teterrimi carceris calamitatem, aliaq; ſuis meritis indigna diutiſſimè pateretur: donec cæcos calumniæ dolos opportuna vitæ innocentia ſuperaret. Obijt Argentoni Pictonum oppido quod vxoriæ dotis nomine poſſidebat anno Chriſtianæ ſalutis CIↃ. IↃ. IX. ætatis autem ſuæ quarto & ſexageſimo, Lutetiamq; delatus & Auguſtiana in æde ad Sequanam tumulo marmoreo à ſe condito ſepultus eſt. vnica filia ſuperſtite Ioanna Renato Britannico Pentebriæ Comiti collocata, quo ex matrimonio multæ illuſtres in Gallia familiæ maternam originem hodieq; ad Cominium ipſum referunt.

MARGARETA VALESIA
Nauarrorum Regina.

FVIT hoc fauſtum & felix omen Galliæ, quòd inter fœcunda tot ingenia, quę ad patrię linguæ decus illuſtrandum, cæteraſq; politiores artes apud nos primùm erigendas & cõmouendas operam induſtriámque ſuam contulere, princeps fœmina, potentiſſimi Regis ſoror, Regina & ipſa Margareta locum tenuit. Illa enim tam illuſtri natalium & fortunæ ſplendori aliquid etiam addi poſſe iudicauit, ſi æternis literarũ monumentis, quę plurima & præclariſſima conſcripſit, nominis ſui memoriã poſteritati cõmẽdatam relinque ret: vel eò præcipuè quòd ab aulicis vanitatibus & ſolita vatũ laſciuia multùm abhorrẽs in ſacris Muſarũ tractãdis, vt in omni actione, dignam tali Principe verecundiam caſtè religioſeq; ſeruauerit, eaq; demum tractauerit argumẽta, quæ ad pietatem & mores hominum formandos conducere maximè cenſerentur. Quod & ipſo vitæ exemplo ſic præſtabat, ſic admirabili cõcentu virtutes in ſe omnes temperabat, difficile vt fuerit ſtatuere quid pri-

mum ſummúmve debeat in tam excellẽti ac diuina prorſus Heroïna prædicari. Hoc certè habebat eximium quod omnes aut rerum inopes aut aliqua ſortis acerbitate oppreſſos pia veréq; Chriſtiana benignitate ſuſtentaret, virósque literarum & virtutis opinione celebres tum per ſe ipſa, tum ex Franciſci fratris liberalitate curaret exornãdos, omníq; opum & honorum acceſſione adaugendos. Nupſit pene adhuc impubes Carolo Alenconiorum Duci, Valeſiæ ſtirpis Heroi. Quo ſine liberis vita functo cùm iterum eſſet Henrico Albretio Regi Nauarræ collocata, filiam ei peperit Ioannam Antonio Borbonio Vindocinorum Principi nupturam. vt ſcilicet ex eorũ auſpicatiſſimo cõiugio naſceretur feliciſſimus ille hoſtium domitor HENRICVS quartus, quo tam glorioſo & inclito Nepote habent æternúmq; habebũt auguſtę Reginæ beati manes vnde ſupra humanæ laudis faſtigium iure ac merito ſuperbiãt. Vixit annos quinquaginta nouẽ fatóq; fũcta eſt Odoſij Tarbellorũ anno ſupra ſeſquimilleſimũ quadrageſimo nono.

IN EIVSDEM REGINÆ OBITVM, EX Epigrammatis Caroli Sammarthani.

MArgaridi vocem morbus præcluſerat: vllum
Nec verbum emiſit tres moribunda dies.

Proxima ſed morti, ter conclamauit IESVS:
Deinde animam ſummo reddidit ipſa Ioui.
Tres Charites flerunt: ter tres fleuere Sorores:
Ingemuit mundi pars, doluitque triplex.
Nempe oſtendebat (quo non perfectior vllus
Eſt numerus) perfectam occubuiſſe, Trias.

Gulielmus Pellicerius.

FLORENTE bonis literis Italia, Franciſcus primus, qui & huius pulcherrimæ laudis æmulatione flagrans ingenia ſuæ gentis oſtentare cupiebat, oratorem ad Venetos legauit hunc meritò Pellicerium, quo doctiorem illa ætas, aut qui nõ Italorum modò, ſed omnium cuiuſvis nationis hominum luminibus officere melius poſſet, habebat profecto neminem. Quíq; hac nobiliſſima legatione tantò præclarius & maiore cum Galliæ ſplendore perfunctus eſt, quòd præter infinitam illam exquiſitæ doctrinæ copiam, qua doctiſſimos Italiæ homines in ſui admirationem adducebat, tanta inſuper exciperet eos tum humanitate, tum etiam benignitate vt munifici cuiuſdam patroni loco à compluribus eorũ haberetur. Nec defuere tam egregiæ virtuti ſua premia. Pellicerius enim equiſ-

ſimo vſus Principe & in ſacro eius conſiſtorio ſedere meruit, & Monſpelienſi Pontificatu, cuius in diœceſi natus erat, aliiſque præterea ſacerdotiis liberaliter honeſtatus eſt. Non tamen eo rerum prouentu planè felix, bacchante nimirum & incitata more ſuo in rarum & præſtantem virum inuidia, vt à ſycophantis obiecta criminatione, quaſi ſeueram cœlibatus legem non ſatis pro ſacrati ordinis dignitate obſeruaret, in ſummo fortunarum & famæ periculo indigniſſimè verſaretur. Qua ex cõtumelia concepto ingenti nec inani totius aulæ faſtidio abdidit ſe in Monſpelienſem illum ſeceſſum, vbi liber ſolutuſq; in dulci & optato Muſarum ſinu placidiſsimè acquieuit. cùm in hunc vſum bibliothecam haberet locupletiſsimam, innumeriſque veterum manuſcriptis & aliis omnium generum codicibus vndique conquiſitis ornatiſsimam. Ac huius quidem otij teſtes æterni erãt futuri cum alij complures vtriuſque linguæ auctores fideliter emẽdati, multóque paſsim lumine illuſtrati, tum ipſe ante omnes Plinius quo in caſtigando & explicando Naturam omnem euoluerat, aditúmque ad perfectam eius cognitionem ſtudioſis hominibus incredibili cum ſudore & induſtria muniuerat. Sed, quod plerunque his accidit qui ſua dum

viuunt ipſi edere negligunt, hæc ferè omnia ſimul cum auctore ſuo periêre. Vixit ad exactam ętatem, contabuitq; miſerabilis demum ſenex inter frequẽtes ac moleſtiſſimos cruciatus, eroſis lento & inſanabili vulnere præcordiis, incertum errore an culpa pharmacopolæ certè peſsimi, qui catapotia quædam ex malè trita colochyntide ſumenda ægrotanti obtulit. Multum indignãtibus Medicis, quod quę ſaluberrimè præſcripſerãt, ea tam infelici caſu in amici Præſulis perniciem verterentur.

Jacobus Lodoicus Strebæus.

HIC ſupra philoſophiæ ſtudium Latina maximè facundia pollens primus ferè inter eos, qui Lutetiæ docebãt, inuſitatam atque ad illa tẽpora turpiſſimè neglectam pure ornatéque loquendi rationem non induxit modo, ſed edito etiam de electione & oratoria collocatione verborum opere eximio cæteris, quo facilius & commodius eò peruenirent, iter ipſe aperuit atque indicauit. Exindéque ſuſcepto Ariſtotelis transferendi labore, cùm Politica, Oeconomica, Ethica eo Latinitatis & fidei candore conuertiſſet, qui

ęmulos omnes, atque adeò Perionium ipſum in eadem opera celeberrimè verſantem facilè poſſet à ſcribendo deterrere, vlterius progredi, quodq; habebat in animo, totum illum Philoſophiæ parentem in Latium importare ac traducere vetitus eſt. Vrgente ſcilicet rei familiaris anguſtia, quæ à dulci Muſarum otio ſubinde auocabat, alióque nec volentem abducebat. Ortus enim ex humili familia Remenſis agri, ſed excelſo animo & ab omni rei faciendæ cura impenſius abhorrente, agnouit ſerò ad Virtutis decus tuendum neceſſaria eſſe Fortunæ ſubſidia, dum apud nobiliores Lutetiæ typographos mendis operarum corrigendis inops ac debile ſenium ſubleuare nonnunquam cogeretur, magnóque huius ſeculi probro vir ſummus in ea ſortis malignitate vitam finiret.

Franciſcus Connanus.

FRanciſcus Cõnanus relictis Barbarorum veſtigiis, Alciato duce, nouam & ſalubriorem ingreſſus ornandæ Iuriſprudentiæ viam ſtatuerat opus efficere ſanè egregium & ex-

cellens, quod nec ipsi præstitere veteres Iureconsulti nec Cæsares, vt variam, infinitámque & confusam æqui bonique scientiam apta quadam differendi ratione ordinaret ac digereret, certámque Iuris artem constitueret. Nec ei necessaria deerant ad negotium istud probè conficiendum ingenij fortunæque præsidia & instrumenta. sed gracilis corpusculi vires nequaquam pares generosa gloriæ cupiditate ardentem, sibique minus prospicientem in medio studiorum cursu defecere. Vix enim tertium & quadragesimum ætatis annum impleuit. Conscriptis intererea Commentariorum de Iure ciuili quatuor libris eruditione simul & facundia refertis, qui post acerbum eius interitum à familiaribus collecti & in vulgus emissi vt maximam auctori suo conciliauere laudis & claritatis occasionem, sic immortale omnibus eruditis pulcherrimi operis ab eo instituti nec perfecti desiderium reliquere. Obijt libellorum præfectura insignis, Lutetiæq; genitali vrbe in D. Opportunæ fano tumulatus est, paulò ante quàm Henricus II. armata manu in Germaniæ fines irrumpens Germanicos proceres Cæsaris potentia oppressos in libertatem vindicaret.

Mellinus Sangelasius.

SAngelasiorum gens apud Pictones vt antiqua nobilitate, sic militari laude celebris ne penitus à Musarum sacris aliena fuisse videretur, duos earum mystas edidit minimè contemnendos, Octauiũ patrem, qui Rege Ludouico duodecimo multa bellè satis ac eleganter, vt illis temporibus, ex Homero, Marone & Ouidio Gallica fecit, & Mellinum docto parẽte filium longè doctiorem longeq; facundiorem. Quippe qui plures annos Patauij Bononiæq; educatus simul cum Italico cœlo eam scribendi facultatem hausit, quæ à vulgi cõsuetudine paulò remotior antiquum illum Græci Romanique styli nitorem subolere quodammodo & sermone patrio referre videretur: eoq; magis, quòd & Matheseos & omnis philosophiæ præceptis informatus, earum quoque opibus scripta interim honestaret ac locupletaret sua. Sed quantò fuerat Maroto superior, tantò postea Ronsardo inferior fuit. Cuius ad exorientis fulgorem perculsus ac deterritus mutauit repentè institutum, relictáque Gallica poësi

qua tot annos in Regum aula floruerat, Latinam longo tempore intermissam eo studio & ardore animi repetiit, vt ab ea ne motiens quidem abstineret. Extant enim lepidissimi versus ab illo pronunciati dum animã ipsam ageret, quos & suis versibus pari lepore ad eius tumulum decantatis cæteri Galliæ vates exceperunt. ipseq; ante alios Ronsardus veteris iniuriæ immemor, quam à Sangelasio nec meritus acceperat, dum ille apud proceres & illustriores aulæ feminas præiudicata eruditionis opinione potens iuueniles Ronsardi ausus non satis amicè notaret, expungeretque. Melini autem morientis versus hi sunt,

Barbite, qui varios lenisti pectoris æstus,
Dum iuuenem nunc Sors, nunc agitabat Amor.
Perfice ad extremum, rapidæque incendia febris,
Qua potes, infirmo fac leuiora seni.
Certè ego te faciam superas euectus ad oras
Insignem ad cytharæ sidus habere locum.

Fato functus est imperante Gallis Henrico secundo, circiter annum vitæ sexagesimum septimum, & Lutetiæ in D. Thomæ ad Luparam sepultus.

Franciſcus Oliuarius.

FRanciſcum Oliuarium Iacobi Præſidis in Senatu primarij filium benigna ſors & præter morem ſibi conſtans non illuſtri modò parenti adæquauit, ſed etiam in altiore dignitatis gradu conſtituit. Is enim poſt Senatorios honores & varia legationum officia, poſtremò vel ſuis ipſe meritis, vel Margaretæ Nauarræ (cuius conſiliis præerat) apud Regem fratrem commendatione ad ſupremum illud Cancellarij munus, quod eſt honorum in Gallia ſolſtitium, ſecundiſſimo curſu peruenit. Concurrebant in eo viro virtutes omnes hoc tanto faſtigio dignæ, doctrina, iudicium facundia, rerum vſus, integritas, &, quæ in eiuſmodi magiſtratu laudabiliter adminiſtrando primas agit, admirabilis animi conſtantia. Itaque dum ſagaciſſimus ille Princeps rerum gubernacula tenuit, Oliuario ſuus honos atque dignitas integra ſemper fuit. Cùm autem ſucceſſiſſet filius non magis ætate quam ingenio diſpar, obſedere illico iuuenem aulicæ artes & femineæ blanditiæ, per quas effectum eſt

vt vir grauissimus qui alienæ libidini turpiter inseruire nollet, quasi iam aduentante senio debilis & ad sui muneris functionem propter lippitudinis incommoda parum idoneus, aula tandem expelleretur. Vixit in illo secessu placidè constanterq; nouem ipsos annos anteactæ vitæ gloria contentus, ac profectò verè felix, nisi fallaci Fortunæ ludibrio statim post Henrici secundi casum à Rege nouo reuocatus quatuor & sexaginta annorum senex incidisset in tristissima ciuilium armorum præludia. cuius insoliti motus futuras calamitates animo præsagiens, & rege puero gliscentem indignatus potentiorum aliquot insolentiam & audaciam ex animi dolore fatalem concepit morbum, intraq; paucos dies ineũte anno supra sesquimillesimum sexagesimo Naturæ cõcessit. Eo successore, quem si fuisset liberum sibi ipse lubẽs adoptasset, Michaële scilicet Hospitalio studiorum & virtutum omnium societate sibi coniunctissimo.

Ioannes Brodæus.

HIc præcellentis ingenij vir Cæsaroduni Turonum ex honesta Brodæorum familia patre Ludouici Regis cubiculario genitus, abdi-

cata Iurisprudentiæ cura, cui adolescens apud Biturigas, doctore Alciato, aliquot annos in spem ciuilis vitæ impenderat, totum se ad vtriusque linguæ bonarúmque artium cognitionem & scientiam applicuit. Quarum incredibilem amorem iam olim à puericia conceptum auxit etiam & inflammauit ipsa P. Danesij Gallorum id ætatis doctissimi consuetudo & familiaritas, dum ambo Georgium Seluam Regis ad Venetos Oratorem in legationis ornamentum secuti, erudita illa felicis Italiæ ingenia Sadoletos, Egnatios, Bembos, Flaminios, & eorum similes pari animorum contẽtione superare contendunt. Hos enim Brodæus omnes partim Venetiis, partim Romæ Georgio Armeniaco Regis item ad Pontificem Legato comes ascitus & vidit familiariter & propter studiorum coniunctionem facilè sibi conciliauit. Hoc etiam aliquãtò superior quòd ad eas, quibus pariter incumbebant, elegantiores literas ille & Mathematicas artes & Hebræam, Chaldeamq; linguã insuper adhiberet. Quare in Galliam reuersus multa scripsit & publicauit tot ac tantis laboribus non indigna, in quibus principem locum tenent variæ lectiones, diligentissimiq; in multos Græcæ linguæ auctores commentarij, maximéque in Epigrammata

labore & induſtria Planudis Monachi collecta, quorum & Brodæus bonam partem Latina venuſtate conuertit. Inter hæc beata otia cœlebs & ſacratus cum ad ſexaginta tres annos honeſtè pieq; vixiſſet, ſub exitum primi ciuilis ob religionem belli cœpit leui tentari febricula, ſed ad extremum exitiali: dumque viribus paulatim deficientibus debitum à ſacris literis animi ſolatium petit, legente anagnoſta, inter ſuorũ amplexus & lacrimas felicem animam Deo reddidit. Funeratus eſt Cæſaroduni Martiniana in æde tumulo tenui nec admodum operoſo, ſed & Brodææ gentis inſignibus & piis amicorum Elogiis honeſtato.

Sebaſtianus Caſtalio.

QVI ex aſperis & ſalebtoſis Allobrogum montibus humili ortus fortuna, ſed ingenio bonis literis excultiſſimo, cum Muſas in omni diſciplinarum genere Latinè loquentes videret, tentare voluit num & ſacræ literæ negligentiore hactenus & horridiore quodam ſtilo contentæ his quoque mun-

ditijs exornari possent & expoliri. Hoc itaq; animo nouam Bibliorem tralationem exorsus omnes vtriusq; federis libros raro & admirabili nec vlli dum in his literis vsitato puritatis & elegantiæ nitore expressos intra decennium adornauit & publicauit. Magnam proculdubio ab eruditis omnibus & pijs gratiam initurus, nisi sacrosanctam rerum diuinarum maiestatem visus esset aliquot in locis præ nimio Latinitatis & facundiæ studio violasse. Violauit certè multò imprudẽtius, ne dicam ineptius, dum eandem Gallicè operam præstare cupiens vir in Hebræorum, Græcorum, Latinorum assidua lectione volutatus, patriíque interim sermonis penè oblitus, arreptis è triuio & infima plebe voculis ac loquendi formulis, ridendum se omnibus in re tam seria præbuit atq; contemnendum. Deberi tamen videtur hoc eius egregiæ voluntati, summóque labori & veterum linguarum singulari peritiæ, vt inter doctissimos huius ætatis viros vel cum primis enumeretur. Homo cæteróqui simplex & ab omni fastu alienus, qui suburbanũ prædium sua ipse manu quotidie foderet, susceptamq; iuuentutis erudiendæ curam alterno telluris colendæ labore adæquaret. Perijt Basileæ Rauracorum ex febre nondum senex anno CIↃ. IↃ. LXIII.

Stephanus Boetianus, & Michael Montanus.

STephanus Boetianus ex Sarlato Petracoriorũ oppido adolescentiam vix egressus in Aquitaniæ Senatu sedit, ea doctrinæ, grauitatis & constantiæ fama quam homo excellenti natura præditus, pariq; culturæ diligentia expolitus poterat facilè de se polliceri. vt qui pręter eam, cui peculiari voto se dederat, iurisprudentiam philosophiæ partes omnes & eam præcipuè quæ est de moribus nõ calleret modo, sed etiam in omni vita præclarissimè exprimeret. Poëmata vero siue Gallica, siue Latina quo lepore, qua elegantia, qua facilitate concinebat? Omnino hic ille est, cuius magna ex parte ingenio & industria id Aquitania tandem obtinuit, quod ab Ausonij temporibus ne tentare quidem ausa fuerat, vt seriò poëtandi gloriam vel Italia inuidente sibi quoque hoc tempore arrogaret. Nec ei minor ab oratione soluta laus fuit. sed huius generis pauca tantum extant è Xenophonte & Plutarcho patria lingua, cuius munditia multum pollebat, fidelissimè con-

conuersa. Cætera ne quam fortè pio cineri maculam aspergerent, vt pote liberius paulò scripta quàm vt hæc tempora ferre possent, amicorum consilio latuere. Trium & triginta annorum iuuenis dysenteria perijt, anno supra mille & quingentos LXIII, morte acerba, sed placida, quam Michael Montanus eius æqualis, popularísque & collega coniunctissimus disertissimè descripsit, demortuique operibus à se collectis in perenne amoris erga illum sui pignus & monumentum adiungi voluit. Hic apud Montanum gentile castrum in agro Petracoriensi Equite patre natus auitam rei bellicæ gloriam initio neglexerat, partísque felici studiorum labore disciplinis in eundem Senatum fuerat assumptus: sed fratre natu majore post aliquot annos vita functo, magistratu se sponte abdicauit, Regiique ordinis insignibus à Principe cohonestatus aliud planè vitæ genus instituit: ita tamen vt quæ togatus fœdera cum Musis iniuerat, ea nec torquatus quidem desereret. Hoc enim apertissimè testantur elegantes illi & ingenua loquendi libertate non minus quàm doctrinæ varietate amabiles Miscellaneorum libri ab eo Gallicè conscripti, quos titulo sanè superbiore dignos modestissimè Conatus ap-

pellauit. Quantam porrò ſibi pepererit ex illius pulcherrimi operis editione vel apud exteras nationes eruditionis & ſapientiæ opinionem tum patuit, cum ipſa illa Roma, quæ inter omnes totius orbis terræ ciuitates principem ſibi locum vendicat, eum vltrò in ciuium ſuorum numerum allegit atque cooptauit. Nec potuit ſibi temperare vir cæteroqui ab inani gloriæ cupiditate remotiſſimus quominus hunc honorem ſibi habitum poſteris prædicaret, ipſumque Romanorum diploma ſcriptis ſuis interſereret. Vixit Boetiano ſuo longè ſenior, ſuperatis admirabili conſtantia colici doloris, qui ſeneſcentem inuaſit, aſſiduis propè moleſtijs. Demúmque triceſimo poſt amici caſum anno fatis etiam conceſſit. Saluete ô felices animæ, gemini Muſarum ocelli, & commune hoc vobis ambobus Elogium boni ac volentes accipite. Abſurdum enim fore arbitrabar, ſi quorum animos perpetuus amor in vita coniunxerat, eorum nomina poſt obitum inepta ſeiungeret laudatio.

Arnoldus Ferronus.

EOdem anno quo ſepultus eſt Boetianus Arnoldum etiam Ferronum patritium & Senatorem ſuum Burdegala deſideraiuit. Cuius viri eximiæ doctrinę & induſtriæ multum quidem patria debuit, quòd præter aſſiduam in Iure dicundo prudẽtiam & æquitatem, leges Burdegalenſium municipales pluribus in locis obſcuras & perplexas diſertiſſimis enarrationibus illuſtrauit. Longè tamen ei plus debuit vniuerſa Gallia, quando is rerum Gallicarum hiſtoriam Pauli Æmylij libris attexendam à Caroli VIII temporibus ad Henrici II. aduẽtum eadem ſtili tum puritate tum velocitate perſecutus eſt. Non minus amplam & vberem nacturus operis continuandi ſegetem, ſi ad ea quæ deinde vidimus turbulentiſſima Galliæ tempora filum hiſtoriæ ſuæ perduxiſſet, nec in medio curſu cõſtitiſſet. Eo tamen faciliore iactura, quòd ſummæ vir auctoritatis atq; doctrinæ Iacobus Auguſtus Thuanus id quoque argumenti ſuſcipere magno Gallici nominis incremẽto meditatur. Obijt Ferronus ad octo

& quadraginta natus annos, mœrentib⁹ Musis, alumnóque carissimo perpetuam nominis famam breuiore vita non dubiè repensuris, vt ex æquo Latinæ facultatis opes omnes cum Ausonio ciue suo partitus tãtum hic pedestri facundia quantum alter equestri valuisse prædicetur.

Gulielmus Philander.

HVIVS Galli hominis ingenium & eruditionem admirati Romani, apud quos illis temporibus optimę omnes literæ vehementissimè colebantur, cum vltro in ciuitatem receperunt: postquam doctissimas & laboriosissimas in Vitruuium edidisset commentationes. Quarum tamen procemio multa insuper alia reconditioris & insolentioris doctrinæ opera temerè pollicitus tam pulcræ illius lucubrationis gloriam inani tot promissorum expectatione non mediocriter obscurauit. Quasi enim esset eo famæ nascentis auspicio contentus pristinam deinceps diligentiam abiecit, neglectáque per socordiam non studiorum modò, sed & rei familiaris omni cura Tholosæ tandem sexaginta anno-

rum ſenex parum fortunatus, biennio ante ſecundum ciuile bellum, in Armeniaci Cardinalis clientela diem clauſit.

Ægidius Burdinus.

IN Ægidij Burdini Pariſienſis obeſo grauiq; corpore viuidum & velox ingenium licebat admirari, vel ob id maximè, quòd ſepultis, vt quidem videbatur, altiſſimo ſemper ſopore ſenſibus, cùm indeſinenter ſterteret, nihilominus & loquentes probè audiret & illis appoſitiſſimè reſponderet. Diſciplinas certè omnes tanta celeritate hauſerat, vt puer ipſos linguarum & philoſophiæ magiſtros laceſſeret ac propè ſuperaret. Quotus verò quiſque potuit è noſtratibus reperiri, qui ad eum Græcæ linguæ peruenisſet vſum, vt, quod vir ille maximus in Ariſtophanem egregiè molitus eſt, antiquos Græciæ auctores ſua ipſorum lingua explicandos enarrandoſq; ſuſciperet? Præcipuum tamen ei ſtudium fuit Iuriſprudentia, cuius auſpicijs forum ingreſſus qualem ſe quantumq; geſſerit ex eo potuit intelligi, quòd vnus inter tot

excellẽtes causarum patronos electus est, qui grauissimum Regij Cognitoris munus in supremo Regni Senatu sustineret. Est enim ea dignitas apud Gallos amplissima, fereq; summis viris à Principe delata, qua nunc quoque Iacobum Guellæum genere, doctrina, virtute conspicuum integerrimè, fungentem vniuersa meritò suspicit Gallia. Burdinus eo quem dixi corporis habitu in apoplexiam facilè incidit, qua repente oppressus anno supra sesquimillesimum septuagesimo tres & quinquaginta natus annos expirauit. Cæterùm ex tanti viri laboribus, præter Græcos illos commentarios, leguntur pauca tantùm, quibus nonnullam iuris Gallici partem interpretatus est. Adeò lectissimis illis hominibus, qui maxima Reipublicæ negotia gerunt, parum vel otij vel etiã animi superest ad scribendum & commentandum.

Claudius Espencæus.

NEMO Theologorum Parisiensium majore omnium ordinem concursu & admiratione frequentes de rebus diuinis ad populum conciones habuit, quàm

Claudius Espencæus nobili ad Cathalaunum loco natus. vt qui ad munus illud clarissimũ eximiam eruditæ facundiæ laudem, firmissimáque latera & gestum oris maximè decentem afferret: tantisper in eo versatus, dum viribus imminente senio diminutis ad commentandi scribendíque laborem se contulit. Extant enim quamplurimæ de Religione quæstiones ab eo Latinè Gallicéque magna subtilitate ac diligentia pertractatæ. Quarum rerum existimatione permota Catharina Regis pueri mater, instituto de rei Christianæ controuersiis apud Pissiacum celeberrimo doctorum hominum congressu, hunc virum inter alios dignum censuit, cuius maximè opera & iudicio res tanti momenti disceptaretur. Cùm & Christianis illis cõuentibus, qui Tridenti habebantur, maxima cum Gallici nominis fama iam interfuisset. Nonnulla spe sacri etiam galeri à summo Põtifice obtinendi: quem ei nec Italia inuidebat, homini videlicet ex Apuliæ finibus oriundo, maternúmque genus ad illustrem Vrsinorum familiam referenti. Sed occultus collegarum liuor hanc viro de Religione bene merito iustissimæ dignitatis occasionem ademit. Sexagenarius vita functus est anno CIↃ. IↃ. LXXI. Lutetiæq; in D. Cosmi tumulatus, vbi saxea

eius effigies Theologi habitu columnæ imposita cum Elogio conspicitur.

Nicolaus Gruchius.

NIcolaus Gruchius Rothomagensis genere ortus nobili, & omni literarum ornamẽto præditus poterat in ea fama & celebritate requiescere, quàm à perpetua eloquentiæ cum philosophia coniunctione Lutetiæ, Burdegalæq;, & in ipsa denique Lusitania diu multúmque profitendo comparauerat. Sed quasi esset ea propagandi nominis occasio, quæ ex alienis opinionibus insectandis quæritur, commodior multò & amplior, ab importuna disputandi & altercandi consuetudine vir alioqui prudens & moderatus nunquam ferè abfuit. Vt nunc in Aristotelis interpretem Perionium quasi sumpta in manum scutica pædagogicis correctionibus animaduerteret, nunc excitata cum Sigonio de Romanorum comitiis decertatione hominem illum Italiæ doctissimum dissimulanter quidem & adhibita laudis præfatione, sed acriter interim & acutè per-

perſtringeret, ac poſtremò conficeret. Nec ſpes eum ſua fruſtrata eſt: nullus enim illa ætate vixit eruditorum maiore apud omnes exiſtimatione & auctorite, nullus qui ambitioſius à multis paſſim ad docendum accerſeretur. Cumq; & Rupellani ciues tranſacto motu ciuili tertio in ſpem diuturnæ pacis erecti ludum literarium in illo ſuo litore Santonico aperire laudabili quidem exemplo ſtatuiſſent, Gruchiumque inter alios ad philoſophiæ profeſſionem honeſta conditione inuitaſſent, vix ea pedem in vrbe poſuerat, cum ex lenta febre in longo itinere collecta nondum ſenex pro ſuggeſtu tumulum ſortitus occubuit. incredibili ciuium mœrore, à quibus maxima cum beneuolentia fuerat ſalutatus, & ab ipſo vrbis præfecto proprias in ædes perhumaniter exceptus. Sanè quanto opere tanti viri ſtilum Sigonius reformidaret ex eo videre fuit, quòd qui viuo Gruchio nunquam niſi honorificè vel in medijs velitationibus de ſumma & excellenti eius doctrina loqueretur, mox in defuncti compoſitos manes acerbè contumelioſéque ſit inuectus. Hoc autem inter eos literarium certamen Septimius noſter his eruditis verſibus lepidiſſimè celebrauit,

ANtiquata iacent veteris quæ culmina Romæ,
Fractáque disiectis mœnia ruderibus.
Et linguæ accusant & barbara prælia dextræ:
Sic vt vix sit pes, quod fuit ante caput.
At nunc doctarum linguarum mite duellum,
Et cædes hosti non nocitura suo,
Instaurant Romam, quæ vos Gruchi atque Sigoni
Mauult quàm pacem bella monere sibi.

Joannes Corrasius.

HIc Tholosæ celebri legum domicilio natus & in ipso iurisprudentiæ sinu molliter innutritus quam à sacro eius vbere suxerat æqui & boni disciplinam pari deinde profitendi scribendíque labore in florentissimis Europæ gymnasiis largissimè profudit. Relictóque tandem vmbratili studio in patrium Senatum allectus, ac paulò mox in aulam Nauarræ ad Cancellarij dignitatem euocatus videbatur sibi comparasse tranquillam & honoratam à laboriosa iuuẽtute senectutem, cum in ciuili tumultu præter omnium spem redintegrato, post interemptum Lutetiæ Collignium, eadem & ipse plebis impunè

furentis amentia Tholosæ crudeliter interfectus est.

Carolus Lotharingus Cardinalis.

SIT hic inter nobiles eruditione viros tam illustri Heroi non indebitus locus, quando is à pueritia neglectis potentiorum studiis, qui Musarum ferè securi tantum ea cogitant quæ inania & caduca sunt, ad firmiora se contulit literarum & sapientiæ præsidia, quæ nec vllis Fortunæ casibus amitti possunt, nec vlla temporis longinquitate aboleri. Natus erat in Gallia patre Guisio Renati Lotharingiæ Ducis filio, maternámque originem ad ipsos Galliæ Reges multiplici cognationis vinculo referebat. Ad hanc itaque sanguinis claritatem accedente insuper tanta indole, dignus à Paulo III Pontifice Maximo iudicatus est, qui trium & viginti annorum adolescens in sacrum purpuratorum ordinem allegeretur: nec eo min⁹ in suscepta semel studiorum cura perpetuóque literarum amore permansit. Quòd si per eas

licuisset occupationes, quibus assiduè districtum impeditúmque grauissima totius Christiani orbis negotia tenuére, haberemus profectò non pauca tam rari & excellentis ingenij monumenta, quæ cum veteribus etiam optimis comparare possemus. Commendabat has animi fortunæq; dotes & illustrabat staturæ quoque dignitas & forma summo conueniens Principi, quíque omnes eius actiones admirabili suauitate condiebat sermo elegans & vberrima semper dicendi copia: cùm interim Franciscus frater bellica nirtute inclitus parem in diuerso genere laudem quotidie promereretur. Vt aulici eius ætatis poëtæ, quos amicissimè Carolus fouebat, generosis illis fratribus non incallidè adulantes alterum Martis, alterum Mercurij nomine subinde celebrarent, ac velut humana sorte majorem diuinis vtrumque laudibus cumularent. Hæc autem eloquentiæ vis in eo maximè tum elucebat, cum aut in conuentibus Christianis de instaurando numinis cultu ex veterum patrum disciplina grauiter magnificéque disputaret, aut è sacro suggestu, quem insolito purpuræ fulgore decorabat, verenda legis diuinæ oracula populo admiranti depromeret. Quibus artibus eam cõsequebatur & apud omnes ordines & apud

Reges ipſos tum gratiam tum etiam auctoritatem, vt quæcunque res occurrebant grauioris in Republica momenti ex eius potiſſimùm ſententia iudicióque tranſigerentur. Floruit in his ſtudiis ad vſque tempus illud, cùm Henricus III. Carolo fratre ſublato Gallicum Imperium adeptus eſt. Cui ex Polonia redeunti cum ipſe Roma quoque reuertens Lugduni occurriſſet, Auenionémque paulò mox in eiús comitatu profectus eſſet, in ſæuiſſimam incidit febrem, ex qua decimo ſeptimo poſtquam ægrotare cœperat die ſub finem anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi qnarti nondum planè quinquagenarius expirauit. Corpus eius Rhemos delatum & in ſepulchro, quod ſibi ipſe viuens parauerat, addito breui Elogio, conditum eſt. Famam verò tanri nominis nullus tumulus, nulla teget vnquam obliuio, non ob familiæ modo ſplendorem, celebriúmque tot laborum immortalem gloriam, ſed eo maximè, quod præſtantibus ingenio doctrinaque viris benigniſſimum in omni vita præbuerit ſe fautorem & patronum.

Joannes Monlucius.

MONLVCII fratres nobili apud Condomenſes loco nati, quò magis auitum decus & familiæ honeſtatem tuerentur, omnibúſque numeris illuſtrem ad poſteros traderent ſic ſua inter ſe ſtudia diuiſere, vt Blaſio natu maiori bellica diſciplina, Ioanni pacis artes literarúmque ornamenta cederent. Ac Blaſij quidem res tum in Gallia tum in Italia ſtrenuè feliciterq; geſtas, quibus ampliſſimam Tribuni militum dignitatem promeruit, non eſt huius loci commemorare: præſertim cùm in illa ſui temporis hiſtoria, quam militari facundia exarauit, abundè ſuo ipſe ſtilo totum ſe deſcripſerit atq; ad viuum effinxerit. Ioannes autem, quem & Valentiæ Pontificatu ſua merita auxerunt, cum ad Religionis & Reipub. curam pari ardore animi diligentiáque amplectendam peracre ingenium & ſolidam eruditionem cum eximia dicendi vbertate coniunctam attuliſſet, magnus omnino & admirabilis in vtroque genere vir fuit. Sacris enim cõcionibus nunc Valentiæ, nunc in frequentiſſima Regis aula

præclarè habitis aulicorum animos delicijs & luxu diffluentes ad ſeueriorem Chriſtianæ vitæ diſciplinam commodiſſimè omnium excitare viſus eſt, atq; ob id efficaci⁹ quòd præter eas quib⁹ eminebat virtutes oratore præſtantiſſimo dignas, ipſa ſibi perſonæ dignitas audientiam faceret, magnamq; dicenti auctoritatem cõciliaret. Nec in illa porrò diſputatione pud Piſſiacum inſtituta, vbi de Religionis rebus amicè tractari cœptum eſt, vllus inter cæteros Galliæ Præſules repertus eſt doctior, qui cum lectiſſimis Theologici ordinis viris Catholicorum partes tuendas ac defendendas ſuſciperet. Legationes autem, in quibus eadem eloquentię facultas aliquanto maiore cum ſplendore illuxit, quis vllas vnquã geſſit aut numero plures, aut rerum de quibus agebatur pondere & momento grauiores? Nec enim apud Europæ ſolum Principes & populos prope omnes quatuor ſummorum Galliæ Regum nomine ſubinde Oratorem agere eſt iuſſus, ſed ipſum etiam Turcarum Imperatorem potentiſſimum eo ſucceſſu adijt & cõuenit, vt rebus penè afflictis optatiſſimam in vniuerſo orbe Chriſtiano pacem ac tranquillitatem conſtitueret, ſi minus diuturnam & ſtabilem, at certè opportunam & pro temporum conditione maximè vtilem. Quare

Sigiſmundo Sarmatiæ rege vita functo dux Andium Henricus Caroli noni frater adipiſcendi illius regni cupidus huic potiſſimùm viro & Lanſaco iuniori nobilitate generis ac ingenij laude præſtanti (quos ad promerenda Polonorum ſuffragia peridoneos eſſe ſentiebat) omnem huius petitionis curam & ſollicitudinem commiſit. Prenſabant quatuor competitores illuſtriſſimi Suecus, Auſtrius, Tranſſiluanus, & Moſcouita, qui cum apud gentem illam, vt viciniorem & vitæ morúmque ſimilitudine coniunctiorem, gratia omnes & auctoritate multum poſſent, eos tamen hi duo ſolertiſſimi homines ſiue Caroli auſpicijs, ſiue potentiore Ducis Genio, ſiue ſua ipſi facundia freti glorioſiſſimè repulerunt ac deturbarunt. Reuerſus inde Monlucius aliquot poſt annos exceſſit è vita iam planè ſenex, nec à Republica tamen abſtinens, cum & nouiſſimè præclaram ad Galliæ Narbonenſis ordines de pace inter ipſos ex Edicto Regio conſtituenda peregiſſet legationem.



Iacobus

Jacobus Bugius.

IAcobus Bugius è Castronouo Andium elegantis ingenij vir & admirandæ memoriæ cõfectam à doctrinæ varietate Iurisconsulti, Philosophi, Poëtæ famam peregregiè tulit. Latini quidem carminis argutia cum facilitate & lepore coniuncta præcipuè commendabilis, & ex ipsius Michaëlis Hospitalij censura cum veteribus Romę poëtis conferendus: verùm in scriptitandis Gallicis ideo frequentior, quòd ad procerum aures deliniendas & gratiam in aula aucupandam aptiores esse crederentur & opportuniores. Nec fefellit euentus cõiecturam. Adolescens enim inter aulicos eius ætatis poetas nobilitatem adeptus aditum sibi ad augustam Reginæ familiam hoc eruditæ suauitatis lenocinio patefecit: dignioréque mox habitus loco supplicibus apud eam libellis consiliisque diu præfuit. Vigebant ea tempestate in Gallia laudandæ omnes artes, quas à Francisco primùm excitatas Henricus filius, etsi durior ad hæc studia, tamen recenti patris exemplo liberaliter promouebat, earúmque celebres

alumnos ad opes atque dignitates efferebat. Bugius itaque beato ſeculo fruens, procurante id potiſſimùm Regina, in Armoricum Senatum aſſumptus & Inquiſitionum claſſi præfectus quam Reipub. debebat boni & eruditi ciuis operam ad vſque ſcalarem vitæ annum LXIII. piè fideliterque perſoluit. Eo tamen ſtudiorum temperamento, vt ſubſeciuis horis nunc ad poeticos luſus, nunc ad philoſophicas oblectationes & illecebroſam auri conflandi ſcientiam à Senatoria ſeueritate ſe referret. Verùm vtroque labore prorſus inani citráque frugem effluente, quando & ſuorum ipſe carminum faſtidiosè negligens iacere ſineret ea periréque in aduerſariis, & dum metalla in fornacibus recoquendo montes ſibi aureos temerè pollicetur, nihil inde præter leues euanidóſque fumos eliceret.

Antonius Fumeus Blandæus.

FVMEORVM gentem olim equeſtrem primus ad munera togę tranſtulit Adamus Fumeus vir eximia virtute & induſtria, qui Ludouico XI Rege ſupre-

mam Iuris Galliei præfecturam adepus eſt. Ab eo repetebat originem hic Antonius ingenio & ipſe præſtanti, atque ad omne literarum genus benè felicitérque nato. Itaque non ijs contentus diſciplinis, quæ ad honores in Republica ſuſcipiendos per auita paternáque veſtigia viam illi ſternerent, Philoſophiam quoque & politiores Muſas magno diligentíque ſtudio his adiecit. Circumferuntur & maximè probãtur à doctis nonnulla eius poemata nondum illa typis mandata, ſed ſiue ſermonis leporem ſiue ſententiarum varietatem ſpectemus, hominum profecto luce digniſſima. Scripſit & oratione ſoluta quædam paris elegantiæ. In Republica verò Senatorijſque muneribus obeundis cum admirabilem præferret eruditionis & fidei præſtantiam, vrgente bello ciuili tertio legatus in Auſtriã à Carolo IX miſſus eſt, ſi auxiliares Germanorum copię quas in ſuam perniciem conſcribi Rex audierat Cæſaris auctoritate ac potentia retineri poſſent & à Galliæ finibus prohiberi. Exindéque in ſanctius illud conſilium, vbi maxima totius regni negotia explicantur, ab Henrico III. Rege talium virorum ſingulari æſtimatore facilè aſſumptus eſt. Cuius demum Principis iuſſu profectus in Aruerniam de maximis Reipubl.

negotijs, dum peracta legatione Lugdunum ſidere infeſto aſperáque & difficili via contendit, collecta ex itineris laboribus ægritudine nondum ſenex emiſit animam, ſuperſtite filio, qui hodiéque libellorum præfectura ornatus antiquum familiæ ſplendorem ac dignitatem ſuſtinet.

Jacobus Billius.

IAcobus Billius Prunæus ex nobilitate Carnutenſi, Guiſiæ natus eſt, proximo Atrebatum & Hannonum finibus oppido, quod Ludouicus pater homo ſtrenuus & ſpectatæ in bello ſolertiæ Franciſci primi nomine tum regebat. Is autem diuerſa vitæ ratione & inſtituto inter Muſas educatus literarum & ſapientię ſtudijs inclareſcere maluit. Erat Ludouico & filius maior natu Ioannes duobus opulentiſſimis in ora Santonica cœnobijs præfectus, qui cum præ nimio rerum humanarum tædio ſubducere ſe hominum congreſſibus, & in ſeceſſu Carthuſiano ſeueriorem vitam agere meditaretur, non

prius eò migrare voluit, quàm vriusque sacerdotij bonorúmque omnium possessione sese in Iacobi fratris gratiam abdicasset. Quare studiosus adolescens, qui ad literarium decus toto animo anhelabat, ex fraterna liberalitate factus auctior & fortunatior, habuit vnde optato in otio desiderium suum expleret, eosq; demum produceret ingenij fœtus, quibus & summo beneficio Rempublicam Christianam affecit & gloriam ipse immortalem consecutus est. Plurima enim ex Damasceno, Chrysostomo, Basilio, cæterísque sanctissimis legis diuinæ interpretibus, ac potissimùm ex illo singulari scriptore Nazianzeno, qui Theologi cognomen est meritus, doctissimè fidelissiméque transtulit. Plurima & suo ipse ingenio meditatus est. Cúmque totus in scribendi labore semper fuerit, tamen, quæ fuit eius verè Christiana modestia, nullum vnquam argumentum attigit, ne tum quidem cum versibus Gallicis animi caussa luderet, quin ad pietatem & Religionem pertineret. Cætera omnia tanquam fluxa & caduca generoso quodam animi vigore contemnebat. Vtebatur familiariter Gilberto Genebrardo viro doctissimo, cuius in ædibus Lutetiæ dum valetudine parum firma hospitatur, & Gregorianæ versionis nuper à se recognitæ

nouam editionem vrget, sub exitum anni CIↃ. IↃ. LXXXI. post longa morborum tædia ex phthisi tandem octo & quadraginta natus annos interijt, sepultusq; est ad Seuerini fanũ & pijs eruditorum epitaphijs consecratus.

Simeo Bosius.

NEMINI debet mirum videri quod Simeonem Bosium amicum & veterem sodalem meum lectissimum vtique virum hîc quoque commemorem. Quando is ab Aurato Græcæ Latinæq; linguæ facultates omnes, à Duareno exactam Iuris & Legum scientiam adeptus, huius quidem in exercenda Lemouicum patriæ suæ præfectura, illarum verò in Ciceronis ad Atticum epistolis magna cum excellentis ingenij exquisitæque doctrinæ præstantia castigandis & illustrandis pulcherrimum sui dedit specimen. Maiora quotidie pollicens, nisi spes eius egregias importuna fatorum inuidia fefellisset. Iuuenis enim nec sine veneni suspicione interijt iam ab illo tempore, cum à Bel-

gis Ibericum iugum detrectantibus Frãciſcus Regis frater magno populorũ applauſu Dux Brabantiæ cõſalutatus eſt. Viſitur Lemouicibus in D. Petri æde Latinum Epitaphiũ quod ſibi fecit ſepulchroq; moriens iuſſit inſcribi.

Janus Morellus Ebredunenſis.

ME adoleſcente ſolebat huius viri honeſta cum primis & pudica domus tãquam ſacra Muſarum ædes Lutetiæ magna eruditorum frequentia celebrari, cum & eius vxor Deloina & filiæ tres bonis omnes diſciplinis & moribus ornatiſſimæ perelegantes vtraq; lingua verſus inuſitata felicitate cõcinerẽt, ipſe autẽ chori dux & princeps Apollinis interea vicẽ belliſſimè redderet ac repræſentaret. Egerat bonam adoleſcentiæ partem apud Heluetios in Eraſmi cõtubernio, cui & moriẽti ad Baſileam clauſit oculos & argutiſſimo poëmate parentauit. Peragrataq; mox Italia Regis aulæ ſuccedens, vt homo ſermonis & morum elegantia non minus quàm doctrinæ nomine ſpectabilis maximam inter literatos authoritatem breui tẽpore obtinuit.

Cuius deinde merito receptus in Reginæ familiam & Henrici Engolismæi Principis illustrissimi adolescentiæ regendæ appositus non potuit has inter occupationes ea meditari & scribere, quibus aliquãdo posteris innotesceret. Sed quod sibi ipse nõ præstitit hoc omnes illius æui nobiliores poetæ, quibuscum arctissima familiaritate iunctus erat, ei certatim suis in scriptis & cumulatè præstitere. Sub annum vitæ septuagesimum accessit ad senectutem cæcitas, nec ita longo post interuallo secutus est interitus, quem Camilla filiarum natu maxima Græcis Latinisque versibus eruditæ pariter ac piè deplorauit.

Germanus Valens Guellius.

GERMANVS Valens Aurelianus raræ adolescens indolis & eximiæ doctrinæ ad Franciscum primum productus, dum studiosus ille Princeps inter mollia cibi tempora eruditorum qui ferè adstabant sermone & disputationibus oblectatur, adeò prolixè & feliciter opinioni de se con-

ceptæ

ceptæ ſatisfecit, vt ab omni corona præſertímque à Rege ipſo mirificè laudatus acerrimos inde ſibi ſtimulos admoueri ſentiret ad ea perſequenda, quæ tam auſpicatò cœperat cum elegantioribus Muſis habere commercia. Vt nec eum deinceps in toto vitæ curſu vel Senatoria dignitas, vel ſuſcepta Regis nomine domi foríſque negotia, vel ipſe denique ſeni delatus Aureliæ patriæ vrbis Epiſcopatus à iucundo & optabili Dearum vſu reuocaret. Erat enim ingenio mirè fœcundo & valido, quod varia ſimul diuerſáque ſtudia nullo prorſus incommodo complecteretur. Ex plurimis autem eius operibus, quorum bona pars viuenti adhuc auctori bellorum iniuria perijt, vnum illud extat oppidò magnum & laborioſum, quo Maronem noua quadam commentandi via & ratione interpretaturus, non ſcholiis tantùm & notis, verumetiam accurata diligentíque Græcorum cum Latinis collatione obſcurioribus diuini illius poëtæ locis lumen afferre contendit. Hunc enim ſicut & reliquos vtriuſque linguæ poëtas à puero ſemper in delicijs habuerat, ſcribebátque ipſe nonnunquàm preſſiore quidem, ob idq; forſitan obſcuriore ſtilo, ſed qui ſententiarum

vbertate & pondere non auersas eruditorum aures vtique caperet ac deliniret. Eiusmodi poema legimus ab eo conscriptum anno ante infandum Regis parricidium altero, quo poemate septuagenarius vates imminentem Galliæ tempestatem præsagiens, miserabilem rerum statum deplorauit: aliquantóque post Meduni ad Ligerim suæ diœcesis oppidulo rebus humanis exemptus est.

Antonius Nicolaius.

RECEPTA Gallicis armis Neapoli, cùm Rex victor assertum bellica, virtute imperium legibus & iustitia tuendum esse non ignoraret, ea Senatũ in vrbe constituit, Cancellariiq; dignitati virum præfecit inter cæteros Galliæ togatos illa tempestate nobilem Ioannem Nicolaium in Gallia Narbonensi claro inter suos loco natum. Qui & paulò mox Lutetiam reuersus primò quidem libellorum supplicum in Regia Magister, inde verò supremæ Rationum curiæ primarius Præses à Rege Ludouico XII. dici meruit. Fun-

ctus est eo munere plures annos, donec ætate iam grauior, abdicatis Reipublicæ curis & suffecto suum in locum Æmario filio, patriam inter cæteras Galliæ regiones vnam delegit, cuius in sinu tranquillum senectuti nidum poneret, ac in ipso tãdem S. Audeoli ad Rhodanum oppidulo (vbi majorum domus & penates) animam de Gallico imperio benemeritam Deo reddidit. Æmario natus est hic Antonius qui & ipse paterni magistratus hæres ad quatuor & triginta amplius annos eum splendidissimè tenuit: eius itidem postea relicto successore Ioanne filio libellorum quoque supplicum antea Magistro, cuius eximijs virtutibus hodiéque fruitur, vtinamque diu fruatur, tanto felix alumno Lutetia. Itaque quòd raro, ac ne rarò quidem hactenus vlli contigit, hoc ornatissimæ Nicolaiorum familiæ singulari Superûm benignitate cõcessum est, vt quatuor ex ea summi viri seriatim & ex ordine hunc honorem, qui suo in genere supremus est, integro iam seculo possiderent. Cæterùm in Antonio viguerunt animi dotes quamplurimæ. Magnum enim fuit eius in omni re iudicium, magnum & indefessum recti studium, dignaq; amplissimi ordinis principe viro grauitas, & incomparabilis in mune-

re administrando tum fides tum vigilantia. vt in eos, qui Regias opes & pecuniam publicam impuris manibus tractabant, nemo vel inquireret exactius, vel maiori cum seueritate animaduerteret. Qua hominis integritate non minus quàm officij, quod gerebat, amplitudine permoti Reges intimis eum Regni consiliis & arcanis vltrò ac libenter admisere. His igitur titulis honestatus & florebat existimatione & magnam apud omnes auctoritatem obtinebat. Ac ne ad solidam eius fortunam desiderari quidquam posset, hanc etiam ornabant paternæ & auitæ opes innocenter partę & habitę. Statura fuit procera sed recta, colore non satis viuido, nec valetudine multùm stabili, qui nimirum inexhausta sanguinis copia laborans frequentiore pleuritidis incommodo conflictaretur. Hoc tamen habitu vir frugi & sobrius peruenit ad annum vitæ LXII. Ac postremò pridie Nonas Maias anno salutis CIↃ. IↃ. XXCVII. in ædibus atq; adeo in amplexu P. Amorij Senatoris clarissimi, quem pro veteri necessitudine inuiserat, ictu sanguinis extinctus est. Interfuerat paulò ante sanctiori consilio Principis, ibíque, vt incredibili ardebat erga Rempublicam studio, sententiam de maximis regni negotiis tanta contentione dixerat, vt hæc inde repentina

mors ei contigiſſe credatur. Sepultus eſt Lutetiæ ad Mederici fanum in Ballietorum ſacello, qua ex familia inter Pariſienſes maximè illuſtri & veteri marernam ducebat originem.

Augerius Ferrerius.

AVGERIVS primæ notæ Medicus Tholoſæ natus eſt patre quidem profeſſione Chirurgo, ſed more veterum vtramque Medicinæ partem exercente: cuius ductu & ſtudio maturè inſtitutus patriæ ciuibúſque ſuis ab adoleſcentia totum ſe dedit. Vigebat in eo flagrantiſſimum doctrinæ ſtudium, neque modò Medicinam, ſed eius etiam adiutrices Mathematicas diſciplinas tenebat omnium perfectiſſimè. quodque ad leuandos ægros non mediocriter conducit, hilaritatem quãdam & feſtiuitatem in vultu, in ſermonibus, in omni actione præferebat. His facultatibus eminens cõmendante Ioanne Bertrando Iuriſpræfecto, qui ſacrã poſtea

ea purpuram adeptus eſt, Catharinæ Regum matri medicas operas aliquãdiu prębuit, Romamque mox in eiuſdem Cardinalis comitatu profectus quam in Gallia famam & libris editis & aſſiduo medicinæ faciendæ labore quæſiuerat latiſſimè in Italia propagauit: ac inde Tholoſæ ſuæ redditus eſt. Ibi poſtquàm ad ſeptuaginta quinque annos integerrima valetudine vixiſſet, atrocibus demum ac diuturnis inteſtiuorum tormimibus, tertio ante menſe quam Regina ipſa decederet ſublatus eſt è vita, dum ſeueriore Bodini cenſura notatus prouocatuſq; ſuſceptam aduerſus eum de Republica diſputationem adornaret.

Joannes Stephanus Durantus.

Quo te nomine appellem, Tholoſa, felicémne, an miſeram, quæ cum huius tanti viri natalibus & educatione glorieris, eiuſdem indigniſſima cæde perpetuam nomini tuo maculam inuſſiſti? Vt ſcilicet ex tam illuſtri & luculento exemplo ſatis appareret,

plerósque vestræ factionis homines (nam de modestioribus non loquor, nec eorum famæ quidquã detractum volo) dum Religionis Catholicæ causam libidini suæ prætendunt, non aliò spectasse, quàm vt bonorum ciuium internecione teterrimam huic imperio pestem exitiumque molirentur. Quem enim in hac animorum dissensione vidit Gallia qui Religionem ipsam aut coleret cõstantiùs, aut maiore studio, labore, diligentiaq; promoueret? Comprobat hoc celebris illa de ritibus Ecclesiæ lucubratio, quam vt Catholicis partibus apprimè vtilem Sixtus ipse Põtifex Maximus tanta excepit cum admiratione, vt & eam Romæ suis impensis excudi iusserit, & eius auctorem Durantum incredibili fauore beneuolentiaq; sit amplexus. Quid igitur superrest, nisi vt Catholicæ Religionis hostes pronunciemus eos, qui tam acrem & probatum eius propugnatorem stolidè crudelitérque sustulerunt? Erat is patre Senatore natus, vtq; patritium decebat, omnibus artibus eximio Iurisconsulto dignis liberaliter institutus, qui postquam Regiæ aduocationis in patrio Senatu munus per aliquot annos tenuisset, mox ad ipsum Senatus principatum admirabili cum totius vrbis & prouinciæ lætitia perue-

nit, primariúſque Præſes in locum ornatiſſimi viri Io. Dafij ſoceri ſui renunciatus eſt. Augebant in dies hanc omnium ordinum approbationem ſpectata hominis integritas, perfectáque Iuris vtriuſque prudentia cum ſumma ſemper æquitate coniuncta, donec cæſis apud Blæſios Guiſianis fratribus, Toloſæ vt & aliis in locis oborta eſt furioſa repente ſeditio, cui dum vir ille ampliſſimus pro ſui muneris auctoritate reſiſtere, Regiúmque nomen tueri ac defendere nititur, à factioſis abreptus & intra cœnobij Dominicani ſepta in cuſtodiam traditus, indéque poſt aliquot dies in ſæuientis plebeculæ furorem obiectus, immaniſſimè tandem trucidatus eſt. Additum & ſceleri ſcelus, integerrimo viro Iacobo Dafio Præſidis filio, qui Duranto in Aduocati Regij dignitatem ſucceſſerat, ſimili furoris impotentia confoſſo. Duranti autem iuſtiſſimũ deſiderium elapſis aliquot annis hoc magna ex parte lenire potuit, quòd P. Fabrum alterum à Cujacio reſtitutæ Iuriſprudentiæ lumen Rex æquiſſimus in eodem Senatu principem collocauit.

Franciſcus

Franciſcus Roaldeſius.

VEreor equidem ne piis modeſtiſſimi viri Manibus temerè dicar obſtrepere, dum importunus laudator eum ego hîc celebrare inſtituo, qui ſuis ipſe ſcriptis ęternæ poſteritatis memoriæ mandari maximè omnium potuit, nec voluit. Roaldeſius enim (quo nemo vnquam diligentius in aſſidua doctrinæ peruestigatione verſatus eſt) contumaci quodam gloriæ contemptu honeſtum illum & optabilem ſtudiorum fructum, qui ex dulciſſima immortalitatis ſpe percipi ſolet, eo vſque reiecit ac repudiauit, vt Socratis exemplo ſola docendi opera contentus nihil ferè in vita ſcriptum reliquerit, quo ſe poſteris aliquando vixiſſe teſtaretur. Id verò teſtabũtur omnes eius ęquales Iuriſconſulti, qui frequenter & honorificè ſuis in libris tam præſtantis viri nomen vſurpauere. Duóque ante alios huius diſciplinæ antiſtites Cuiacius & Hotomanus, quorum vterque Roaldeſium tanti fecit, vt eum exorta inter ipſos de Iuris interpretatione controuerſia iudicem ferre non recuſaret. Omnium enim optimè noue-

rant in exactissima totius antiquitatis Romanique Iuris cognitione nullum esse hoc homine maiorem aut superiorem. Qui natus apud Ruthenos & pia sacrificuli cuiusdam cura primis literis imbutus, continuóque Tholosam perductus, cùm adolescens philosophiæ studiis & curiosa rerum Naturæ contemplatione ad aliquot annos animum oblectasset, processit inde ad Iurisprudentiam, acceptáque apud Augustoritum à Roberto Irlando Antecessore sui temporis clarissimo laurea, profitendi mox laborem aggressus est. Quo in munere per omnem deinceps ætatem raras admirabilis doctrinæ diuitias in variis Gallię gymnasiis iuuentuti studiosæ liberaliter expediuit. In id, credo, iam tùm à Deo immortali reseruatus, cùm in cunis tenellus adhuc infans vtroque parente peste sublato, infectisque cæli vitio totis ædibus, ipse vnus præter omnium expectationem euasit incolumis. Fuit autem vltima studiorum sedes Tholosa ipsa, vbi post lacrymabilem Duranti Præsidis, quem vnicè colebat, aliorúmque bonorum ciuium cædem accedente ad mœrorem dysenteria septuagenario prouectior è viuis excessit.

Robertus Garnerius.

MVsis auspice Ronsardo ex Italia in Galliam traductis, primus nostrorum Iodelius acerrimi vir ingenij Tragicum poema exprimere aggressus est, paulò tamen adhuc duriore stilo, minúsque dilucido, sed qui vel ipsa operis nouitate sic placuit, vt cum in Henrici II aula magnifico veteris scenæ apparatu Cleopatræ fabulam dedisset, incredibilem de se tota repente Gallia famam accenderet. Successit ei Perusius poeta sanè tersior & politior, adeóque nisi mors immaturior obfuisset, Gallicus Euripides eruditorum iudicio euasurus. Vtrumque autem sine controuersia superauit Garnerius noster Cœnomano ex agro, Senecæ quidem ille potius quàm Græcorum æmulator, sed & rebus & personis ita semper accommodatus, tam creber sententiis, tanta verborum vbertate locuples, vt veterum cuilibet comparari posse meritò censeatur. Extant eius Tragedię nouem, quas in deliciis habent Galli omnes hanc ingenij facilitatem admiranti, cuius beneficio potuerit inter seuera togæ studia in pangen-

dis carminibus, & quidem in eo genere quo difficilius & operosius nullum est, tam diligenter assiduéque versari. Quęsitoris enim in patria dignitatem diu tenuit, indéque iam prouectior in magnum aulæ Senatum à Principe allectus est, nec vllum vitæ tempus à Republica vacuum exegit. Qui verò solebat in scena tristes aliorum câsus & querellas effingere, parum abfuit quin ipse funestissimæ Tragœdiæ non leue argumentum daret, insigni domesticorum perfidia & audacia: qui domus expilandæ cupidi Garnerium ipsum & eius vxorem cum tota familia veneno tollere constituerant, pestis contagionem sæuissimè tum grassantem tot cumulatis funeribus obtensuri: nisi nefarij conatus & consilij tota vis hæsisset in vna vxore, quæ statim hausto poculo manifesta veneni signa prodidit. Nec enim passa est Nemesis integerrimi sui mystæ sacros penates à tam flagitiosis & perditis hominibus impunè violari. Peruenit ad annum vitæ duntaxat quinquagesimum sextum, fatóq; functus est Cœnomani & iuxta conjugis carissimæ cineres Franciscana in æde tumulatus.

Jacobus Faius Spessæus.

BArtholomeus Faïus Lugdunensis familia natus cum primis honesta, plurimisq; & maximis cognationibus illustri, sed ab ingenij cultu longè clarior, sola doctrinæ virtutísque commendatione in Senatum assumptus est, Præsidísque demum officio fungi promeruit. Habebat is vxorem ex Violarum gente nobilissima spectatæ probitatis matronam, vnde filium inter alios tulit hunc ipsum de quo hic agimus Iacobum. Qui cum in Heliæ Andreæ schola duodecim annorum puer Anacreontis Odas Latinè, Virgilijque vicissim Græcè multos locos mira facilitate reddidisset, ipse iam tum Hospitalius hanc admiratus indolem, & patri, quem vnicè carum habebat, amantissimè gratulatus, fertur ea prædixisse quę postea sunt ipso euẽtu comprobata, fore vt puer tantus in rarum quendam & præcellentem virum euaderet. Fuit nimirum in eo perspicacis ingenij summa vis, & quòd rarò accidit, incredibilis me-

moriæ felicitas cum ſolidiſſimo iudicio coniuncta. Qua Naturæ bonitate fretus ad eam breui tempore peruenit eruditionis exuperantiam, vt in Senatorium quoque ordinem vel adhuc adoleſcens & imberbis ex pia patris eiuratione cooptaretur. Nec multis interiectis annis Legatus in Sarmatiam grauiſſimis de reb⁹ vna cũ Nicolao Angẽnæo Rembolieto præcipuę nobilitatis & virtutis equite ꝓpinquo ſuo miſſus eſt. Huius legationis pręmium fuit libellorum in pætorio pręfectura, qua poſt aliquot annos abdicata, factus in ſupremo Senatu fiſci patronus, tum demum in illo celeberrimo totius orbis terræ conſeſſu totum ſeſe quantus erat explicauit. Nemo enim ampliores multiplicis doctrinæ copias, nemo difficillimis temporibus maiorem inuicti animi conſtantiam ad honeſtiſſimum illud munus pro dignitate obeundum attulit. Cuius cùm ſæpe alias, tum verò ſub ipſa Ibericæ factionis exordia memorabile dedit ſpecimen, detectis non ſemel & in ipſius Regis conſpectu magnificè repulſis eorum artibus, qui per ſpeciem pietatis propoſita ſacri Concilij promulgatione res in Gallia nouas moliebantur, Eccleſiæque Gallicanæ libertatem ac per eius latus auctoritatem regiam conabantur inuadere & conuellere. cum vir om-

nibus numeris doctissimus ex ipso Iure Pontificio, quod & perfectè callebat, non libertatem illam, sed merum esse ius, ideóque minimè violandum, apertissimè demonstraret. Secutus est funestissimus toti Galliæ tumultus; Rege per summum furorem Parisiis expulso, Senatúque ob tam nouum & indignũ facinus ad Turones translato. Cuius amplissimi ordinis delectus Præses Faius non modo tempestate turbulentissima permansit ipse inconcussus in officio & fide, sed multorum etiam labentes erexit animos atque firmauit, acerrimúmque, quoad vixit, & fortissimum præstitit se Regij nominis assertorem. Vixit autem in eo magistratu paucos menses. Obsessa enim à Rege Lutetia cum sese rapidis Iulij mensis caloribus in castra contulisset, nec à militaribus muniis abstineret, lethalem accersiuit febrem, qua indesinenter æstuante, sex tantum & quadraginta natus annos extremum vitæ diem exegit, eò quidem tranquillius & placidius, quòd in Iacobi Augusti Thuani collegæ carissimi amico sinu piam & felicem exhalaret animam. Erat fronte minaci & seuera, sed sermone comi, facilique nec à liberalibus facetiis abhorrente. Summus in eo candor, summa sinceritas, summa

in iudicando castitas elucebat. Quodq; fuit in viro tantæ doctrinæ sibi conscio valdè mirum, tam longè aberat ab omni gloriæ fumo, vt cum tradere posteris multa posset ingenij sui documenta, tamen post absolutissimas tot veterum lucubrationes publicare nouos libros non modo superuacaneum esse duceret, sed etiam ineptum. Nec è doctissimis eius vigiliis hodie quidquam legeremus, nisi duo lectissimi Senatores Iacobus Gilotus & Carolus Faius, hic Spessæi germanus frater, ille fraterna cum Spessæo beneuolentia iam à puero coniunctus amanter & piè curauissent vt Gallicæ saltem eius aliquot superessent orationes, eo quidem conscriptæ stilo, quem Cæsarianum verè possis dicere. ita sunt in his omnia natiui cuiusdam candoris & eloquentiæ nusquam affectatæ plenissima, quæ generosum eius animum testentur & ab omni fuco alienum. Funeratus est Siluanecti magno Regis & omnium bonorum luctu XIII. Cal. Octobr. anno supra mille & quingentos nonagesimo.

Franciscus

Franciſcus Hotomanus.

EVIT ille quidem auſpicatus & felix annus quo Dij ſuperi memorabilem de rebelli exercitu victoriam in agris Eurienſibus Chriſtianiſſimo Regi cõceſſere. ſed longè futurus felicior, niſi duo clariſſima Iuriſprudentiæ lumina Cujacium & eius æmulum Hotomanum nobis idem eripuiſſet. Aliquantò tamen diſpari noſtrorum ciuium deſiderio, nempe quòd illius incomparabili eruditione & induſtria quotidie Gallia magno ſuo commodo frueretur, hunc vt è Sileſia oriundum & in Germanicis Academiis maxima celebritate diu profeſſum ipſa ſibi Germania penè totum arrogaret. Licet enim Lutetiæ natus eſſet patre Senatore, crederetúrque in togatam illam dignitatem quæ eſt nobiliſſima ſuo non dubiè tempore ſucceſſurus, eum tamen vt adoleſcentem nouitatis cupidum vel ipſius ætatis æſtus, vel occulta quædam fati vis aliò abripuit, longumque in Heluetia, Germania, Pruſſia perpetuo ſtudiorum labore florentem detinuit: donec à Principibus Regiæ ſtirpis in Galliam

reuocatus, obitáque mox ad Cæſarem & Germanicos proceres legatione patriæ denuò redditus, quam exteris docendi operam præbuerat, eandem & ſuis tùm Valentiæ tùm Auarici ad aliquot annos impendit. Ianiq; pertæſus alieni cœli cogitabat in Gallia ſedem ponere, certúmque ſibi larem aliquãdo tandem conſtituere, cùm (vt forte Lutetiam venerat) inopinata & improuiſa Collignij nece tanquam exorta repente procella turbatus & reiectus proripuit ſe ad Allobrogas, indèque aliquot interiectis annis ad illas Germaniæ gentes erga literatos egregiè ſemper animatas velut in optatum aliquem & tranquillum portum ſe recepit. Fato functus eſt Baſileæ Rauracorum ex morbo intercute anno vitæ ſexageſimo ſexto, cùm paucis ante annis libellum edidiſſet planè aureum, quo impendentem apud Gallos inter patruum & fratris filium de Regiæ ſucceſſionis iure controuerſiam non minus verè quàm eruditè in gratiam Henrici legitimi ſucceſſoris explicauit. Erat omnino ille vir habili & fœcundo ingenio, variáque eruditione, ac potiſſimùm eximia quadam in Romanorum iure illuſtrando facundia conſpicuus. Quod & poſteris plurima eius opera ſplendidiſſimè ſcripta magis ac magis indicabunt.

Franciſcus Nouius.

HIc ille eſt qui vnus ferè hoc ſeculo vel in media ferri licentia poſſe militarem virum integrè modeſtéque viuere nouo prorſus exemplo demonſtrauit. Enitebat enim in eo rariſſimus omnium virtutum concurſus, morumque præcipuè ſumma caſtitas & ſingularis in omni vitæ actione moderatio. Cumque nemo eſſet, vbicunque res id poſcere videretur, ad pugnam & arma cienda promptior & ferocior, ſibi tamen ſic temperabat, vt victoria demum potitus ab hoſtium ſanguine vel frementibus ſocijs humaniſſimè ſemper abſtineret. Supra quæ nobilis excelſiq; planè animi argumenta & maximas quibus item vigebat eminentis ingenij vires, non vulgarem quoque Natura & formæ honeſtatem, & corporis ad omnia dexteritatem ei contulerat, vt equitandi peritia cæteriſq; militaribus munijs nemo æqualium antecelleret, nemo quoties ad ludicra conuertebatur maiori ſe agilitate ad omne paleſtræ genus exerceret. Sed ex plumbeæ glãdis ictu ad Fontenaium oppidum altero mutilatus bra-

chio hæc otij deinceps oblectamenta coactus est omittere, veteráque reuocare studia & quod relinquebatur à bellico labore vacui temporis in molli & quieto Musarum contubernio consumere. Fuerat enim puer in his studijs educatus, quæ ad corporis & ingenij cultum ex æquo pertinerent. Vnde & clarissimus bello Imperator euasit & plurimis de ciuili militaríque disciplina disputationibus populari sermone conscriptis optimo quoque Iure meruit eruditorum hîc numero censeri. Posuerat militiæ rudimenta iam ab Henrici secundi temporibus apud Insubres, indéque Principi Condæo cæterisq; Borboniæ stirpis Heroibus fidissimè adhærens iniquas alternatis Fortunæ vices incredibili animi æquitate constantiáque superauit. Bis enim eodem anno deletis insigni Henrici fratris Regij felicitate Borbonicarum partium copijs ipse vtraque clade oppressus captusq; est. Mox verò libertate recuperata instauratoq; in Santonum & Pictonum finibus mira celeritate suorum exercitu, militibus nostris & numero pluribus & recenti rerum successu elatis ea loci opportunitate ad Luscionium illius tractus oppidulum occurrit, vt fusos omnes ac dissipatos latè sterneret, ipsumq; agminis ducem Pogallardium ma-

gna virtutis opinione celebrem & veteranum apertam in fugam conuerteret. Rursum autem in Belgica, dum ordinum fœderatorum auspiciis fortiter & strenuè militat, ab Hispanis interceptus longissima superbæ gentis vincula pertulit, molesta illa quidem & grauia, sed profecto gloriosa, quando Philippus, qui tot annos captiuum insolenter detinuit, vel hinc apertè ostendebat quanto opere sibi timeret à summa tanti Ducis fortitudine summáque vigilantia. Quam scilicet abundè cùm ex alijs præclaræ famæ operibus, tum maximè ex Montij Hannonicæ vrbis acerrima multorum mensium defensione perspectam probè habebat & cognitam. Quare vix tandem intercedente Lotharingiorum Duce facultas exeundi concessa his legibus, vt à Belgico bello in posterum abstineret, nec aduersus Lotharingicæ domus dignitatem hostiliter vnquam se gereret. Seruauit pacti religionem vir fidei tenacissimus, donec detecta coitione Regem ipsum peti, omniáque diuina & humana iura violari sentiens iudicauit esse impium, & ab officio boni ciuis alienum cessare, nec suam in commune operam ad opprimenda coniuratorum arma conferre. Itaque iunctis ad Siluanectum agri Parisiensis vrbem cum Longouillæo Regij exer-

citus ductore opibus, amborum eximia virtute non vrbs modo ipsa, quæ de propinqua deditione iam agebat, obsidione liberata est, sed & illi ipsi qui oppugnabant memorabili prælio victi & profligati omnem rei deinceps benè gerendæ spem facilè amiserunt. Erat in citeriore Britannia Prorex Henricus Borbonius Regij sanguinis adolescens Dumbarum Princeps, qui omnes egregij ductoris partes in illa iam ætate bellissimè impleret. Huius ad generosos conatus in propulsando potenti hoste adiuuandos Nouium Rex magno quidem Armoricæ nobilitatis consensu, sed consilio parum auspicato mittendum censuit. Eò namque vix appulerat, cum in Lembalæ vrbis oppugnatione, dum ex edito loco muri situm explorat, sclopo deiectus, collisóque cerebro lethaliter saucius intra paucos dies ereptus est. Nempe vt quæ regio tam illustris Equitis natalibus intumescebat (hinc siquidem ortus erat genere pernobili) eadem & exincti cineres iure suo possideret. Perijt sexagenarius anno redemptionis humanæ CIↃ. IↃ. XCI. Nec omnino perijt superstite Odeto filio præstantissima virtute viro, cuius in omni vita & moribus expressam ad viuum intuemur bellicosi pariter & eruditi parentis imaginem.

Gulielmus Sallustius Bartasius.

GVlielmum Sallustium (qui & ab auito prædio quod possedit in Ausciis Bartasij cognomẽ tulit) sublimis animi scriptorẽ, nobili in Vasconia loco patre Quæstore genitum sine piaculo nõ possum præterire, postquam eius Gallicum poëma de mundi primordiis, Hebdomadis nomine inscriptum, quanta non alius in Gallia liber cum admiratione & applausu legitur passim & celebratur. Quanquam (vt varia sunt hominum iudicia) dum simplici narratione contentus oratorem potiùs agit quàm poëtam, cúmulatísque paruo delectu methaphoris omnem orationis cultum & elegantiam in eo ferè constituit, non desunt qui longius eum abesse contendant à recta illa scribendi norma & ratione, quæ quò seuerius in veterum imitatione consistit, eò propius ad veram in eo genere laudem accedere ex eruditorum sententia iudicatur. Sed quis autem cum eo non præclarè actum putet, qui viuus videnſq; celeberrimæ suæ gloriæ interfuerit, Musæq; lenocinijs exteras etiam nationes & principes ad sui amo-

rem pellexerit? Eũ certè ſuſcepta in Daniam, Angliam & Scotiam legatione ad ſe aduẽtantem Iacobus Scotorum Rex auguſtiſſimus, quodq; in tanto Principe rarum eſt, omni liberali doctrina ornatiſſimus & perhonorificè accepit & omni ſtudio ac benignitate retinere, ſibique totum vendicare conatus eſt. Ille tamen vt honeſtiſſimæ Regis voluntati morem gereret nunquam potuit adduci: ne Henrico Borbonio Principi ſuo, cui non minus & literarum & armorum etiam nomine acceptus erat, exterum Principem quantumvis de ſe benemeritum antepoſuiſſe diceretur. Ea maximè tempeſtate cum tot parti de hoſtibus triumphi Gallicos omnes poëtas ad Regis inuictiſſimi laudes certatim decantandas inuitarent atque attraherent. Hoc enim officio Bartaſius etiam probè functus eſt, nec adeò multò poſt elatus, quàm Eurienſem victoriã inſtar ſuauiſſimi oloris ad Garumnæ ſui fluenta ſupremo lyræ cantu celebraſſet. Obiit autem ſex & quadraginta natus annos patrio quidem in ſolo, ſed inter arma & tubas procul à dulcibus Muſarum otiis, dum ſub Matignone legato Regio Equitum turmæ præfectus, ab Apolline ad Martem pro temporis & rerum perturbatione deficeret.

Michael

Michael Huraltus Hoſpitalius.

MIchaeli Hoſpitalio togati ordinis principi fuit vnica filia Magdalena Roberto Huralto viro clariſſimo nuptui data. Quo ex matrimonio ſuſceptos nepotes ampliſſimus ille ſenex & omni poſteritatis memoria digniſſimus voluit, ne nulla familiæ ſuæ veſtigia ſupereſſent, aſcititio quoque nomine Hoſpitalios appellari. Cumq; hunc Michaelem inter cæteros vt ſibi cognominẽ & ardentiore animo literarũ ſtudia capeſſentem vnicè diligeret, Bibliothecam ei ſuam teſtamento legauit. Itaq; generoſus puer hoc aui de ſe iudicio magis ac magis inflammatus ingenium quod acre habebat imprimis & habile omnibus bonis & liberalibus doctrinis probè ac diligenter expoliuit, indeq; ad Senatum & Reipublicæ adminiſtrationem ſuo tempore progreſſus eſt. Diuiſa tum erant Gallorum inter ſe ſtudia, nequedum Rex Nauarræ Henricus Borbonius publicæ quietis vindex & inſtaurator in auito Francorum Regum ſolio conſederat. Huius tamen triumphos & futuram de rebellibus populis

victoriam noſter hic Michael ſagaci iam tum animo præſentiens ad eum duris temporibus in Aquitania belligerantem paucorumque armis & præſidio ſe tuentem contendit, eiq; relicta Regis aula totum ſe dedit. Nec fuit hæc ingrata aut inanis apud magnanimum Principem tam fidelis & propenſi animi ſignificatio. Factus enim breui tempore non modo conſiliorum particeps, verùm etiam ſacri ſigilli cuſtos & magiſter ſupremum inter eius conſiliarios honoris & gratiæ locum adeptus eſt. Nemo ferè vt eſſet cui potius publicæ mandarentur procurationes & grauiſſima quæque partium illarum negotia. Cuiuſmodi fuit ea potiſſimùm legatio, cùm ad ſuppetias expoſcendas in Batauiam & Germaniam ire iuſſus longiſſimam illis gentibus reliquit eruditionis & eloquẽtiæ ſuæ famam. Erupit in id tempus eorum qui partibus Hiſpanicis fauebant infeſtiſſima Francico nomini coniuratio. Cuius opprimendæ cauſa duo propinqui Reges cùm ad Cæſarodunum ſimultate omni depoſita cõueniſſent, pepigere inter ſe inducias, miſſis vtrinque legatis qui res bellorum tempeſtate turbatas & confuſas communi opera diligentiáque componerent ac ordinarent. Atque hoc Michaëli quoque officium Rex Nauarræ ſuo nomine geren-

dum commiſit, cùm & nos eidem procurando Chriſtianiſſimi Regis nomine præfecti eſſemus. Qua in congreſſione & quotidiano conuictu licuit mihi propius hominis elegans ingenium eximiamque doctrinam & ſingularem in ſcribendo tum facilitatem tum libertatem admirari, dum ciuilis diſcordiæ cauſas noſtrorumq; Principum facta, conſilia, conditiones, mores vnius veritatis habito reſpectu exprimeret, literiſque in poſteritatis gratiam conſignaret. Verum audito de optimi Regis impia cæde nuntio confeſtim collega meus ad nouum Regem ſalutandum in caſtra ſe contulit: ac demum ſanctioribus Regni conſilijs & arcanis admiſſus poterat, ſi auitis tantum veſtigijs inſiſtere maluiſſet, auitum quoque ſibi honorem aliquando pollicери: ſed præ nimio erga Regem & patriam ſtudio vir togatus temerè ſeſe armatis admiſcuit, nec in eo porro vitæ genere parem animo ſuo ſortitus eſt fortunam. Succubuit enim vel adhuc iuuenis in maritima Normaniæ ora Quilbouium ad oppidum indignantis animi dolore oppreſſus, quòd præfectura illius arcis, cuius & opportunitatem obſeruauerat penè primus & locum incredibili diligentia munierat, cedere in alterius gratiam iuberetur.

Ludouicus Alealmus.

IS patre nobili & diuite Vernolij ad ſeptumum ab vrbe lapidem Toparcho genitus & in fori Pariſienſis luce nõ ſine maxima doctrinæ fama diu verſatus Aurelię poſtremò conſedit, ſuſceptámque nobiliſſimæ & opulentiſſimæ vrbis præturam per totos viginti annos caſtè imprimis & prudenter adminiſtrauit. Colebat interea ſacras Muſarum artes & ea ſubſeciuo tempore ludebat ſingularis elegantiæ poematia, quæ poſt eius obitum à filio paternæ ſimul dignitatis & virtutis hærede publicata legunt nunc omnes viri politiores & eo magis admirantur, quòd vel in ieiuna ſteriliq; materia incõparabilem quandã & inexpectatam præ ſe ferant ingenij ſummè felicis vbertatem. Exceſſit autem è vita, quanquam ſepuagenario maior, importuno tamen interitu & præpropero, quod paucis ante diebus vitam finiret, quam inter inuictiſſimum Regem & coniuratos Duces pacis præuiæ pangerentur induciæ: nec ante fatalem horam ea carperert, quibus tandiu caruerat, propinquæ trãquilitatis optatiſsima

tempora. Cuius in laudibus viri commemorandis ideo ſumus hîc breuiores, quod eas in recenti funeris luctu fuerimus longiore iampridem nænia perſecuti.

Nicolaus Sudorius.

QVis verò facilè credat hominem ab ineunte adoleſcentia foro deditum, grauiſſimóque Præſidis munere Lutetię perfunctum vel in mediis negotiorum ciuilium fluctibus ita ſuæ ſpontis fuiſſe, vt ad ſuauitates poëticas animum interea deflecteret? non vt epigramma vnum aut alterum aliudvè quidpiam leuioris operæ meditaretur: ſed, quod Flaccus ipſe optimus artis poëticæ magiſter fieri poſſe negauerat, aureum illum Dirces olorem in aërios nubium tractus multiplici gyro ſeſe attolentem aſſequeretur, eiuſque diuinos omnes cantus numero quidem diſpari, ſed pari omnino ſpiritu Latinis auribus excipiendos redderet. Atqui arduum iſtud opus neminíque adhuc tentatum Sudorius hic noſter & confidentiſſimè auſus eſt & feliciſſimè perfecit. vt nimirum exemplo

quoque ſuo demõſtraret quantò cæteris Galliæ ingeniis Lutetiana præſtent, ſi quando ad Naturalem bonitatem præclara educatio multáſque rerum vſus acceſſerit. Numeris etiam Gallicis nõnunquam ludebat: quorum vt leuis iactura fuerit, non tamen ea quæ de Iure doctiſſimè ſcripſit celari diutius & iacere in tenebris ſine magno Reipublicæ detrimento poſſunt. Perijt ſub id tempus quo recepta eſt à Rege Luteria quinquageſimo quinto vitæ anno, ab impia latronum manu (dum à Sequanorum finibus in vrbem ſe recipit) in ipſo itinerè ſæuiſſimè necatus.

Petrus Pithœus.

IN vrbe Tricaſſium nati ſunt patre nobili & erudito Pithœi duo fratres omnibus diſciplinis ornatiſſimi, nec immeritò geminis Tyndaridis à compluribus huius æui ſcriptoribus adæquati. Quod enim illi ſuo ſidere nautis in mari ſulcando, id iſti literarum ſtudioſis in antiquitate perueſtigãda diuino doctrinæ ſuæ lumine præclariſſimè præſtitere. Nec id ipſum porrò præſtare deſi-

nit Franciſcus natu minor, quem hodiéque videmus inter inſignes Pariſienſis fori Iuriſcõſultos merita multiplicis eruditionis fama celeberrimè perfruentem. Te verò, Petre doctiſſime, quem iniqua nobis neque dum ſatis matura mors eripuit, lugemus omnes Muſarum amãtes viri, & eò lugemus acerbius, quò pauciores tui ſimiles reliqueris in hæc vltima rei literariæ tempora reſeruatos. Quantum verò in his ſtudiis emineres vnus & excelleres docuere ſuis certatim elogiis cum alij ferè omnes huius ætatis eruditi, tum illa potiſſimum duo Galliæ noſtræ ſidera Turnebus & Cuiacius præceptores quondam tui. quorum cum vterque ſuis in libris frequentem & honorificam de te mentionem fecerit, hic inſuper te iuuenem ſenex, diſcipulum magiſter, in dirimendis cum æmulo controuerſiis arbitrum ſibi optare minimè dubitauit. Quanquam aliena tibi commendatione quid opus eſt, cum & tuis ipſe ſcriptis, quibus Hiſtorici, Critici, Iuriſconſulti, Philoſophi laudem es meritus, & plurimis veterum monumentis, quæ ſuppreſſa in tenebris latebant, per te primum excitatis ac publicatis nomen abundè illuſtraueris tuum, & memoriæ mandaueris hominum ſempiternæ? Sed neque tibi dum hîc ageres dulciſſimus ille defuit, qui viuos &

ſentientes magis afficit, præſentis gloriæ fructus, dum incredibili clientium concurſu diuina Themidis oracula quotidie depromis, ea doctrinę pariter & ſanctitatis admiratione, vt Henricus III miſſis in Aquitaniam aliquot Patribus qui ius dicerent, his te ſimul & Loiſelum tuum doctiſſimum quoq; virum legationis comites addiderit, qui ſua & Reipubl. grauiſſima negocia ſuſciperetis in illo Senatu pro ſingulari veſtra diligentia & fide procurãda. Quid loquar de incomparabili morum ſuauitate, facilitate, candore, modeſtia & indefeſſo illo quo mortales omnes anteibas de bonis omnibus bene merendi ſtudio? Itaque dum tui memoriam boni omnes viciſſim colunt, alijque lugubribus tibi parentant næniis, alij vitam tuam & honeſtiſſimas actiones pedeſtri facundia deſcribunt, accipe has etiam inferias & ſuprema veteris amici munera, quæ & nos tibi offerimus, ne ſoli tanto è numero ſimus in eum ingrati, quo nemo vixit omnibus gratior, nemo in omnes benignior. Fato functus eſt Petrus Pithœus Nogenti ad Sequanam ex febre ſeptem & quinquaginta natus annos Calend. Nouembr. die ſuo natali, biennio poſtquam eius magna ex patre conſilio & opera deluſis Ibericæ

ricæ factionis artibus Lutetia regni caput in legitimi Regis potestatem peruenit.

Nicolaus Vignerius.

HIc vir natione Barensis professione Medicus omnes omnium ætatum & gentium res pace bellóque gestas ingenti & operoso volumine Gallicè complexus rem Hercle fecit Gallicæ nobilitati Græcorum & Latinorum ferè ignaræ vtilem simul & icueundam, sibi verò ipsi nequaquam satis pro tanti laboris merito fructuosam, quando vix vllam inde mercedem retulerit præter nominis famam tota latè Gallia celebratam: sed plus adhuc celebritatis habituram, si Latino sermone, qui nullis nationum finibus circumscribitur, tam nobile & egregium opus moliri in animum induxisset. Hoc enim facilè poterat homo Romana facundia præstantissimus Atenim suis pópularibus cõsulere, doctiq; viri laudem boni ciuis commẽdatione cumulare non inani pietatis argumento maluit. Ortus erat familia nec tenui nec obscura, patre fisci Patrono: sed bellorum iniuria rebus attritis contulit

ſe in Germaniam, Principúmque liberalitate, apud quos ibi Medicinam exercebat, exilij moleſtias & patriæ deſiderium tantiſper leniit, dum pacata Gallia receptus ad ſuos & ab Henrico III Medici ac Hiſtorici Regii titulis inſignitus habuit vnde honorificam & placidam exigeret ſolo in patrio ſenectutem. Eius tamen cineres patria ipſa non habuit. Lutetiæ enim, dum plurima raræ doctrinæ volumina typis committere meditatur, ætatis anno ſexageſimo ſexto de vita ſublatus eſt.

Simo Mallius Brezæus.

SIMONEM Mallium Andino ex agro nobiliſsimis ortum natalib⁹ & ampliſſimis opibus affluẽtem ornabat etiam incomparabilis morum candor, vereq; Chriſtiana pietas & qui ab eiuſmodi fortuna plerumque abhorret, literarum amor flagrantiſſimus. His ille meritis & Archiepiſcopus Turonum à Rege dictus eſt, & cùm ſe Carolo Cardinali Lotharingo in clientelam dediſſet, hoc duce profectus in Italiam inter frequentiſſimos Europæ præſules Tridentina in ſynodo cla-

rissimus emicuit. Sed maturè cessit aula vir quietioris vitæ cupidus, ac in Brezęo suę gentis amœnissimo prædio sedem studiis & commentationibus opportunam delegit. Quo in recessu cum alia cōscripsit opera, tum selectas viginti quatuor ex D. Basilio conciones purissimè fecit Latinas & Cardinali suo dedicauit. Habitabat in ea domus parte, quam suis ipse sumptibus ędificauerat opere quidem egregio & elegāti, sed infirmiore positam solo, quæ cùm à fundamentis conulsa de nocte repente concidisset fatalique & improuisa ruina domesticos propè omnes oppressisset, solus inter effossa suorum cadauera illæsus & incolumis repertus est. vt optimum Præsulem atque diuini cultus obseruantissimum certa numinis prouidentia in rem Christianam seruatum fuisse pij omnes facilè crederent, nec sine maximo stupore lætarentur. Vixit inde ad octogesimum annum & alterum, quamuis articulari morbo distortus, nec ante perijt quam confecto Hispanicæ coniurationis intestino bello iucundissima tandem Galliæ pax arrideret. Hoc etiam felix, quòd mortuo successor contigit eo munere dignissimus Franciscus Guellæus, qui Themidis quoque pius Antistes in senatoria dignitate iam antea præclarum sui specimen ediderat.

Gilbertus Genebrardus.

ARuernia bonis ingeniis fœcũda, cuius è gremio prodiere togati ordinis tot illuſtres viri, hunc etiam edidit ſacrati ordinis eruditum virum, qui ſanctæ linguæ Regius apud Pariſios Interpres Hebraicæ antiquitatis arcana plurima, & ea maximè quæ ad rationes temporum ſubducendas pertinẽt, adhibito perſpicacis ingenij lumine perquiſiuit ac in lucem protulit. Hoc enim ex fonte ortum eſt chronologicum illud opus & alij, qui nunc ſunt in manibus hominum, ſimilis induſtriæ fœtus maximis ab eo vigiliis & laboribus elucubrati. Multa ille ex Hebræis & Græcis accuratè tranſtulit, multa recognouit, multa commentatus eſt. Neuiſſimeque Muſarum penetralia ingreſſus amatorium Salomonis Latinè tentauit poëma molle illud quidem ac tenerum, ſed pium, quo Seruatoris puriſſimos in Eccleſiam ſuam amores intelligi ſapientiſſimi homines tradidere. Nec eum ab inſtituta verſione deterruit, quòd alij ſummæ doctrinæ viri & huius ætatis facilè principes poëtæ lepores omnes & gratias in eodem car-

mine transferendo feliciſſimè iam impendiſſent. His ſtudiis inſeneſcentem, partáque præſtátis eruditionis opinione latè celebrem Gregorius XIII. eorum commẽdatione qui à Regio nomine deſciuerant Aquenſi Archiepiſcopatu donauit. Sed magnanimo Rege tandem rerum potito impetratam his authoribus à Pontifice dignitatem diu ſeruare ac tueri non potuit. Fato functus eſt Semuri Burgundionum, quo in oppido non ignobile ſacerdotium poſſidebat, anno ſalutis CIↃ. IↃ. XCVII. circiter ætatis annum ſexageſimum.

Henricus Stephanus.

INter eos qui de re literaria bene meriti ſunt Roberti Stephani Pariſienſis typographi ſolertiſſimi ſplendidiſsimiq; magna cum primis nec vllo æuo peritura laus fuit, vel ex illo ampliſsimo Latinitatis theſauro, quem omnibus eius linguæ ſtudioſis plurimo ſumptu, plurimo ſudore, plurima diligentia deprompſit. Nec minori poſtea laudis argumento Henricus filius Gręcarum literarum amantes eodem officij genere ſibi deuinxit.

Sed & veterum innumera tum ſacrorum tum exterorum volumina ex celeberrimis eorum officinis exiere multò quam prius emendatiora, multò venuſtioribus formis excuſa: cum vterque ad inſignem induſtriam & indefeſſum artis nobiliſsimæ ſtudium non vulgarem in omni literarum genere doctrinam feliciter adhiberet. Henricus certè mirificam de ſe iam tum excitauit famam, cum adoleſcens ex Italia reuerſus Anacreonten, qui tot annos latuerat, vetuſtis notis in libro exaratum ſecum attulit, moxque Lutetiæ typis Regiis eleganter impreſſum, paribuſque numeris Latinè à ſe redditum & quidem erudito ſeculo nec à poëticis hilaritatibus alieno eduxit primus è latebris & euulgauit. Erat in eo viro ſumma ingenij fœcunditas & ſiue Græcè ſiue Latinè ſcriberet, vtriuſq; linguę vſus & facultas omnium paratiſſima: cumq; pati non poſſet in eo Gallos errore diutius verſari, vt patrio ſermoni Etruſcum anteponendum crederent, nonnulla interdum & Gallicè ſcriptitabat multo ſale reſperſa opuſcula, quibus & noſtrę linguæ prædicaret præſtantiam, & ſua ipſe in ſcribendo puritate ac elegantia comprobaret. Sed grauiora fuerunt ea, quæ in multis vtriuſque linguæ ſcriptoribus recenſendis & in quorundam imitatione rectè commodeq; inſtituen-

da ſubinde molitus eſt. Habebat fortunarum ſedem apud Allobrogas voluntarium patris exilium ſecutus, non obſcuro tamen Lutetiæ deſiderio, quam & cæteras item Galliæ vrbes vt ſe quamlibet leuis offerebat occaſio libentiſſimè inuiſebat. Ac poſtremò Lugduni quò ſe quoque ſeptuagenarius contulerat fatali morbo correptus anno ſupra ſeſquimilleſimum duodecenteſimo de vita deceſſit, cùm & Robertum patrem, & patri cognominem fratrem natu minorem, nec induſtria diſparem, qui Lutetię paternam officinam redintegrauerat, fata iampridem eripuiſſent. Reliquit moriẽs aliquot liberos, atque in iis filiam Iſaaco Caſaubono viro longè doctiſſimo, Lutetiamque à Rege ad meliores literas inſtaurandas nuper aſcito collocatam.

Germanus Audebertus.

Ermanus Audebertus Aureliæ ad Ligerim honeſtis ortus parentibus vt eloquẽtię philoſophiæq; ſtudiis, quæ ab ineunte adoleſcẽtia diligentiſsimè coluerat, iuris & legum prudentiam adiungeret, ſuperatis

Alpibus Alciatum Bononiæ tunc celeberrimè docentem plures annos audijt, receptuſq; ad ſuos Italiæ amorem, quem à regionis amœnitate hominumque doctiſſimorum optabili conuictu & allocutione conceperat, neque poſtea vnquam depoſuit, & illuſtri ac diuina Muſarum opera luculentiſſimè teſtatus eſt. Venetias enim & Romam & Parthenopen ampliſſimas nominis Italici vrbes ea carminis maieſtate deſcripſit, in cuius immortali ſplendore ſpes illis manſuræ apud poſteros memoriæ non minor quàm in tot ſumptuoſis maiorum ſuorum monumentis procul dubio ſit reponenda. Quod inſigne meritum & quouis auri pretio maius ac præſtantius Reſpublica Veneta vt pote ſapientiſſima non putauit ſatis pro dignitate penſari poſſe, niſi honorem honore rependeret, præconémque ſuæ laudis eximium in ordinem Equitum D. Marci (qui honos Principibus viris & Regibus ipſis deferri ſolet) ex publico Senatus decreto cooptaret. Sed neque vir prudentiſſimus hac inani gloriolæ acceſſione ſuſtulit animos, nec ſibi quidquam de ſolita modeſtia detraxit, contentus ea quam apud ſuos iamdudum exercebat veſtigalium indictionúmque præfectura, humili fortaſſe illa & obſcura, ſi hominis dignitatem reſpicias, ſed quam eo tatum ani-

mo susceperat, ne nullam Reipublicæ partem attigisse sibíq; soli vixisse diceretur. Obijt anno partæ salutis CIↃ. IↃ. IIↃ. postquam ad octoginta amplius annos honestè, integrè, placidéque vixisset. Relictis præter ea quæ commemoraui poemata siluarum aliquot libris, qui lucem expectare poterant ab eius hærede filio in summa Rhedonum curia Senatore, nisi & ipse paucorum dierum interiectu carissimi parentis funus morte cumulasset sua.

Petrus Lætus.

PEtrus Lætus Iulioduni Medico patre natus ad Medicinæ studiũ, (hanc enim is quoq; professus est) non ea tantùm quæ vulgo à Philosophiæ, cognitione peti solent subsidia & adiumenta cõferebat. Sed & omni liberali disciplina mirificè excultus maxima cũ dignitate diuinam & salutarem illã artem apud suos exercebat. Non dubium sibi locum inter nobiliores Galliæ Medicos asserturus, nisi vir pius, qui se patriẹ natum crederet, intra tenuis oppidi septa procul ab omni ambitione latuisset. Emersit tamen è tenebris aliquan-

do tandem & apparuit postquam ab illustrissimo Dumbarum Principe Henrico Borbonio ad repellēda Mercorij Ducis & Hispanorum arma se se accingēte in comitatum & familiā ascitus est. Quibus & nos in castris decem integros mēses Regis imperio viximus Quæstoria dignitate perfuncti, vel eo me hercule cōmodius & iucundius quòd amici doctissimi suauissimis interim alloquiis & vsu quotidiano frui liceret, amboque vt plurimum vacui inuisa Martis tædia molli Musarum amœnitate leuaremus. Atque is in illa ipsa expeditione Iobi Constantiam, aliaq; sacrorū vatum carmina patrio lepore decantauit, cùm & aliquot ante annis diuinum Fracastorij de morbo Gallico poema transtulisset his numeris, qui auctoris maiestatem Maronianæ proximam planè referrent. Latinè certè si quid meditaretur (multa autem & prosa & carmine meditatus est) nihil omnino tersius, nihil in vtroque genere perfectius à quoquam poterat expectari. Quo magis dolendum fuerit si vel temporum malignitate, vel hæredum incuria tot elegantes egregij viri lucubrationes ingrata nocte sepeliantur. Ipse enim quinquagenario vix maior intempestiua morte Lutetiæ procul à suis interceptus est, oborta repente febre, cui lethalis icterus altero die super-

uenit, ex autumnali ſcilicet intemperie huius anni, qui nunc agitur, ſupra mille & quingentos vndecenteſimus.

Carolus et Iacobus Sãmarthani.

NE tamẽ videar (quod ille ait) alienos agros colere proprium negligere, liceat hic poſtremò celebrare duo Sammarthanæ gentis honeſtamenta Carolum & Iacobum patruos meos: quorum alter Iuriſprudentiam, alter Medicinam coluit, vterque Græcam linguam, philoſophiam & ingenuas omnes artes non leuiter aut perfunctoriè, ſed ſeriò diligentérque amplexus eſt. Diuerſo tamen more nec eodem ſtudiorum inſtituto. Carolus enim aurę popularis auidior perutiles de re ſepulchrali commentarios itemque pias in Dauidis carmina commẽtationes & multa varij generis poematia tum Latina tum Gallica publicauit. Iacobus autem licet Romani ſermonis falcultate perfectiſſimus, tamen quòd homo eſſet inanis gloriæ nuſquam appetens, totum iſtud ſcribendi ſtudium facilè neglexit, vberrimas illas multiplicis eruditio-

nis opes eodem quo ſeipſum tumulo condituru, niſi hæredes earum reliquiſſet filios elegantiora ſtudia cum exercitatione forenſi doctiſſimè adæquantes. Hic Scæuolæ patris veſtigia ſecutus Lodoicæ & Leonoræ Borboniis cœnobij Fontebraldæi Principibus illuſtriſſimis ad extremam vſque ſenectutem non modo in arte medica, ſed etiam in conſiliis & omnibus magni momenti rebus fidelem nauauit operam. Ille Margaretæ Nauarræ anſpiciis cauſarum capitalium apud Alenconios præfecturam adeptus patronam fato functam luculentiſſima laudatione conſecrauit. Nec ita multò poſt integro adhuc æuo nimia vi & copia ſanguinis oppreſſus emiſit animam. Cùm ſanguis ipſe ruptis vaſis magno ſe impetu circùm præcordia diffundẽs natiuum repente calorem ſuffocaſſet.

ELOGIORVM
FINIS.

ILLVSTRES *Heroum animas pia cura parentis*
Excitat, & caeli rursus ad astra vehit.
Ac velut Aethiopis quae viuo è cespite pubens
Laetior Idaeis prouenit herba iugis,
Vi tacita quaecunque latent arcana resoluit,
Si modò praesenti gramine claustra linas.
Sic pater obscuri tumuli caua busta resignat,
Dum lita nectareo verba liquore fluunt.

ABELIVS SAMMARTHANVS
SÇÆVOLÆ F.

Σεῖο ἐπεὶ τὰ γραφέντα βίον νεκροῖσιν ὀπάζει,
Οὐκ ὀπικήδια ἐς', ἀλλὰ γενεθλιακά.
Ἀλλὰ γενεθλιακὰ καὶ ὁμοῦ ἐπικήδιά ἐστιν,
Εκ τέ μίης φαρέτρης δίπλον ὀιστὸν ἵης.

N. SAMMARTHANVS
LVDOVICI F.

VOS, post fata, virûm laudata per ora renasci
Sammarthane iubes, prima incunabula nolint
Nosse iterum, nacti aeternam te vindice vitam.

FRANC. CITESII Med. Doct.

ATLANTIS Libyci nepos disertus,
Et fidus superûm Deûm minister
Pallenteis animas potente virga
Ex Orco trahit ad Iouis tribunal.
At tu Mercurio haud minor, sepulchris
Illustreis animas disertiorum,
Nostra Gallia quos tulit, virorum
Extrahis, rapis adserísque Olympo:
Sic vt iam volitent virûm per ora,
Aeternóque simul fruantur aeuo,
Sic vt Elogiis tuis disertis
Cedat primula vita iam secundæ.

IO. FALCO.

AVREA perpetuo voluuntur sidera gyro
Et rapiunt motu caetera versa pari.
Cúmque perenne nihil constet mortalibus, aequa
Quis nolit te te vindice fata pati?
Optarim seras ego iàm praeuertere Parcas,
Si talis dabitur vita secunda mihi.
Et modò dent ista Superi me sorte beari,
Sic mihi vel durum est viuere, dulce mori.

P. NANCELIVS N. F.

FOELICES *Animae artubus ſolutae*
Quos Mors carceribus ſuis recondit,
Fœlices ter & amplius beatae,
Non quòd Eliſios vagae per agro.
Ludatis nitida ſimul ſub vmbra,
Et vitam peragatis innocentem.
Sed quòd SÇAEVOLA *gloriam propaget*
Veſtram, & Elogio ſuo perenni
Vos longinqua ferat virûm per ora.
Et hoc, SÇAEVOLA, *maximè fatentur,*
Nec debere tuo negant labori.
Sed coeco ſtudio tui videndi.
Id moleſtè Animae ferunt, cupitus
Quòd diu nimium morêre terris.
At quorſum inuidia haec & vnde veſtro
Aſſertori Animae inuidetis annos?
Qui vitam ex auido dedit ſepulchro
Ex vita huic cupitis dari ſepulchrum?
Immo iam, rogo, ſit ſatis ſuperque,
Vobis SÇAEVOLA *rite quod parentet,*
Nec ſuum iubar inuidete terris.
Vt qui Neſtoris aemulatur ora
Seros Neſtoris aemuletur annos.

IO. DELINGENDIVS.

10050603

INDEX EORVM QVI DVOBVS ELOGIORVM libris continentur.

A

ADrianus Turnebus. 48.
Ægidius Burdinus. 133.
Æmarius Ranconetus. 35.
Andreas Tiraquellus. 33.
Antonius Fumeus Blandæus. 146.
Antonius Nicolaius. 154.
Arnoldus Ferrerius. 89.
Arnoldus Ferronus. 131.
Augerius Ferrerius. 157.

B

Barnabas Briſſonius. 93.

C

Carolus Lotharingus Cardinalis. 139.
Carolus Molinæus. 49.
Carolus Sammarthanus. 195.
Claudius Eſpencæus. 134.
Claudius Putheanus. 98.
Clemens Marotus. 23.
Chriſtophorus Longolius. 7.
Chriſtophorus Thuanus. 69.

D
Dionyſius Lambinus. 57.
E
Elias Vinetus. 86
F
Franciſcus Connanus. 119.
Franciſcus Duarenus. 37.
Franciſcus Foxius Candalla. 96.
Franciſcus Hotomanus. 169.
Franciſcus Oliuarius. 123.
Franciſcus Nouius 171.
Franciſcus Rabelæſus. 22.
Franciſcus Roaldeſius. 161.
Franciſcus Vatablus. 18.
G
Germanus Audebertus. 191.
Germanus Brixius. 9.
Germanus Valens Pimpontius. 152.
Gilbertus Genebrardus. 188.
Gulielmus Bellaius. 12.
Gulielmus Budæus. 56.
Gulielmus Pellicerius. 116.
Gulielmus Philander. 132.
Gulielmus Poſtellus. 65.
Gulielmus Rondeletius. 58.
Gulielmus Saluſtius Bartaſius. 175.
Gabriel Amorius Serenus. 151.

H

Henricus Memmius. 104.
Henricus Stephanus. 189.

I

Iacobus Amiotus. 95.
Iacobus Billius. 148.
Iacobus Bugius. 145.
Iacobus Cujacius 90.
Iacobus Faber Stapulensis. 1.
Iacobus Faius Speſſæus. 165.
Iacobus Gopilus. 45.
Iacobus Hollerius 46.
Iacobus Lodoicus Strobæus. 118.
Iacobus Mangotius. 83.
Iacobus Peletarius. 67.
Iacobus Sammarthanus. 195.
Iacobus Siluius. 26.
Iacobus Tuſanus. 18.
Ianus Antonius Baifius. 14.
Ioachimus Bellaius. 39.
Ioachimus Perionius. 29.
Ioannes Auratus. 87.
Ioannes Bellaius Cardinalis. 12.
Ioannes Bodinus. 105.
Ioannes Brodæus. 124.
Ioannes Corraſius. 138.
Ioannes Dampetrus. 24.
Ioannes Fernelius. 32.

Ioannes Gorræus. 61.
Ioannes Mercerus. 54.
Ioannes Monlucius. 142.
Ioannes Ruellius. 10.
Ioannes Stephanus Durantus. 158.
L
Laurentius Iobertus. 75.
Lazarus Baifius. 14.
Ludouicus Alealmus. 180.
Ludouicus Castaneus Rupiposæus. 99.
Ludouicus Duretus. 80.
Ludouicus Regius. 64.
M.
Marcus Antonius Muretus. 76.
Margareta Valesia. 114.
Martinus Bellaius. 21.
Mellinus Sangelasius. 121.
Michael Hospitalius. 58.
Michael Huraltus. 177.
Michael Montanus. 128.
N.
Nicolaus Gruchius. 136.
Nicolaus Sudorius. 181.
Nicolaus Vignerius. 185.
O.
Orontius Finæus. 28.
P.
Petrus Foxius. 74.

Petrus Bulengerus. 44.
Petrus Bunellus. 41.
Petrus Castellanus. 31.
Petrus Danesius. 16.
Petrus Fuluius. 42.
Petrus Gillius. 19.
Petrus Lætus. 193.
Petrus Montaureus. 52.
Petrus Pithœus. 182.
Petrus Ramus. 55.
Petrus Ronsardus. 78.
Philippus Cominius. 111.

Q.

Q. Septimius Florens Christianus. 106.

R.

Reginaldus Clutinius. 60.
Remigius Bellaqua. 63.
Robertus Garnerius. 163.
Rupea Pictauienses. 82.

S

Salmonius Macrinus. 20.
Sebastianus Castalio. 126.
Simeo Bosius. 156.
Simo Mallius. 186.
Stephanus Boetianus. 128.

V.

Vidus Faber Pibracius. 72.

FINIS.

LECTORI SECVNDI LIBRI.

ERVNT fortaſſe complures qui ne nunc quidem ſibi ſatisfactum putent, nec ſecus ac priore libro nonnulla eruditorum nomina tanquam hic prętermiſſa deſiderent. Ego verò quod ſuperiore editione fueram pollicitus idipſum integra fide præſtare, nec eorum qui ſupereſſent vllum in hac altera parte indictum præterire ſanè decreueram. Sed ea fuit ingeniorum in Gallia fœcũditas, vt etiam ſi memoremus eos tãtum qui vita perfuncti ſunt, nec duobus tamen libris ea poſſint omnia comprehendi: quò fit vt neceſſariò tertium his addere ſuo tempore cogitemus. Cæterùm in Elogiis collocãdis hunc tenuimus ordinem, vt ſaltem inter eos qui ſunt eodem libro deſcripti ætatis ratio, quoad eius fieri potuit, à nobis haberetur.

Pag.	linea.	Errata.	Emendationes.
13	11	*conuenibus*	*conuentibus*
ibid.	15	*aduenante*	*aduentante*
16.	2.	*Franscici*	*Francisci*
53.	21.	*obsistere*	*obstitere*
96.	19.	*Relligio*	*Religio*
113.	20	*Augustiniis*	*Augustiniana*
122.	3.	*motiens*	*moriens*
127.	2.	*Bibliorem*	*Bibliorum*
134.	7.	*integerrimè*	*integerrimè*
ibid.	21.	*ordinem*	*ordinum*
154.	12.	*bellica,*	*bellica*
163.	23.	*admiranti*	*admirati*
165.	22.	*incre-dibilis*	*incredibilis*
180.	2.	*Septumum*	*septimum*
ibid.	18.	*sepuagenario*	*septuagenario*
182.	4.	*multasque*	*multusque*
188.	16.	*neuissimè*	*nouissimè*
185.	9.	*icuendam*	*iucundam*
190.	15.	*larebris*	*latebris*
ibid.	10.	*Anacreonten*	*Anacreontem*

In Indice Petrus Foxius leg. Paulus prima pag. leg. CIO. IO CII.

10050603

10050603

10050603

10050603

10050603

10050603

8541

IBR Nr. 6385
Jahr: 2003

10050603